Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Mayer Justus Wesselus Rumpaeus

Ipso Reformationis Evangelicae Festo Die, Qui XXXI. Octobris Est, Dissertationes Suas De Pontificiis Leonis X. Processum adversus Lutherum improbantibus & Quantum Pontificiis Reformatio B. Lutheri ipsis non diffitentibus profuerit?

Gryphiswaldiae: Adolphus, [ca. 1704]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0001
DFG

a. B.
48. b. 44.

66

429

Fa-1092(66.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0002
DFG

1. Baur de regendis limitibus criticis textus Habraici.
2. Cotta de varia theologiam praesertim dogmaticam tradendi ratione.
3. Cotta de recta theologiae dogmaticae conformatione.
4. Ernesti de Luca et Josephi in morte Herodis Agrippae consensu.
5. Franz de coelibatu ecclesiastico specimen primum. etc:
6. Hofmannus. Num angeli boni corpora hominum interdum obsideant?
7. Hofmannus celeritatem conversionis hominum insigne efficaciae verbi divinioris argumentum brevibus persequitur etc:
8. Kaschub providentiam Dei circa res singulares demonstrat ac partim vindicat.
9. Tabes de efficacia sacrae scripturae supernaturali.
10. Nagelius. de factis quibusdam Jacobi Patriarchae illustribus, secundum ius naturae consideratis.
11. Ernesti de difficultate interpretationis grammaticae novi Testamenti.
12. Mitterzwey. disputatio antiblanchiniana.
13. Ernesti de Origene interpretationis librorum V.T. grammaticae auctore.
14. Ernesti specimen castigationum in Wetsteinii editionem N. Testamenti.
15. Doederlein de dono spiritus sancti, ad episcopi ministerium rarius alligato. com: I.
16. Gerücht, dass ein katholischer Landesherr in Deutschland andern Religionsverwandten seinen evangelischen Unterthanen zu nehmen, nicht befugt sey.
17. Michaelis de variis lectionibus N. Testamenti, caute colligendis et diiudicandis etc.
18. Nunc Christ: Bynaei Lexicon, dass die Landsagung für die evangelischen in den evangelischen Kirchen nicht wurde etc. sey.
19. Lexicon, dass unter dem ungerechten Mammon Judas Ischariot verborgen liege.
20. Lexicon von dem wahren Hierosolyma der Heiligen zusammengebauten Kirchen.
21. Boysen acta inter S: Cyprianum et Stephanum in disceptatione de haereticis baptizandis collecta, vindicata ac animadversionibus crisi illust:
22. Gottschedii imitatio ad memoriam Philippi Melanchthonis publice recolendam.
23. Franc: Albert: Aepinus de modo quadriennationis Paulinae, per exegesin dicti 1 Corinth. II. 4. 5.
24. Huthii Petrus, non Petra.
25. Burgmannus de Judaeis corde compunctis
26. Fischer de vita, fatis et scriptis Petermanni.
27. Burgmannus de non-consummatis patribus V.T. ad dictum Pauli in epist: ad Hebr: XI. 39. 40.
28. Handwig de calculo in glandulis subliquabilibus reperto.
29. Bagge de bonis operibus, num et quatenus figura salutis dici possint?
30. Meyer de Pontificiis Leonis X. praesidium ad versus Lutherum in probantibus, et quantum Pontificiis Reformatio B. Lutheri, ipsis non diffitentibus, profuerit?
31. A Seelen de ieiuniis sabbathicis ex antiquitate, etc.
32. Wüstemannus de natura methodi mathematicae, eiusq; usu in Philosophia ac Theologia.
33. Zachariae Christum πρωτοτοκον considerandum sistit, etc:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0003
DFG

Q. B. V.

IPSO REFORMATIONIS EVANGELICÆ

FESTO DIE,

QUI XXXI. OCTOBRIS EST,

DISSERTATIONES SUAS

De

Pontificiis LEONIS X. Processum adversus Lutherum improbantibus

&

Quantum Pontificiis Reformatio B. Lutheri ipsis non diffitentibus profuerit?

repetita vice defendet

D. JO. FRID. MAYER,

S. Theol. Prof. Primar. Acad. Pro-Cancell.
Superint. General. Facult. Theol. Decanus,

Respondente

M. JUSTO WESSELO RUMPÆO,

S. Theol. Baccalaureo & Ecclesiaste ad Div. Jacobi Sabbathico,

atque

AD SOLENNES DEO SOLVENDAS GRATIAS CONCIONEM ACADEMICAM INVITABIT

Horâ 2. Pomerid.

Quâ Ao. 1517. Megalander Theses suas adversus Tezelium asseruit Reformationi dedit initium.

GRYPHISWALDIÆ, Typis G. H. ADOLPHI, Acad. Reg. Typogr.

a 95



IHr/die ihr euch von Luthern Kinder nennet/
Preißt diesen Tag/der seltne Strahlen hegt!
Die Gluth/ so sonst in eurem Hertzen brennet/
Werd heut mit Lust ans helle Licht gelegt.
Heut wich die Finsterniß / die unsre Welt umfangen/
Heut ist das Gnaden-Licht durch Luthern aufgegangen.

So lasset nun den Jubel-Ruff erschallen
Und legt geschwind die Pflicht zum Opffer an;
Der Sternen Gold soll selbsten wiederhallen/
Daß alle Welt es sehn und hören kan.
Heut muste ja der Flor verfluchter Nächte schwinden/
Man kont den Morgenstern den Grossen Luther finden.

Du Gottes-Held! es stürmten Schwerd und Flammen
Und Noth und Todt auf deine Lehre zu/
Es rotteten die Feinde sich zusammen;
Nicht minder steht sie noch in fester Ruh.
Du strittest nicht allein/Dein GOtt stand Dir zur Seiten/
Wie könt' die Hölle denn wol mit den Himmel streiten?

Der

Der Löwe brüllt / daß alle Länder beben /
Du sanffter Schwan! bestegest seine Wuht /
Mit einen Kiel weist du zu widerstreben /
Daß jeder dir zum Sieg die Palmen thut.
Laß / Liebster Vater / uns heut dein Gedächtnis ehren /
Wir wollen GOtt den Danck und Dir den Ruhm vermehren.

Drum lasset uns Triumph und Lieder singen;
Weil heut die Nacht vom Kirchen-Himmel fiel;
Des Danckes Loh soll an die Wolcken dringen;
Der Himmel setz nie dieser Lehr ein Ziel.
So rühmt die reine Kirch so lang sie lebt auf Erden /
Daß ihr nach Luthers Zeit kein Tag wird grösser werden.

a. 3.

Q. D. B. V.

ECCLESIA PAPÆA
LUTHERANÆ REFORMATIONIS
PATRONA.
hoc est:
De Pontificiis
LEONIS X. PROCESSUM
adversus Lutherum improbantibus
DISSERTATIO.

EST mihi certe persvasissimum, inter vix numeranda Divinæ benignitatis argumenta novissimæ probata ætati, principem tueri locum, Cœtus divinioris à Pontificiorum sordibus emendationem. Quapropter facere non potui, quin subinde studiosam juventutem, ne oblivione beneficii maximi magnitudinem violaret, excitarem. Jam, cum Witebergæ utramque Lutheri Cathedram meæ fidei curæque credidisset Potentissimus Saxoniæ Elector, eo mea collineavit industria, qua, quoties felicissimus sine pari illuxit Reformationis dies, nonnihil commentabar, quod adeo insignis Dei benevolentiæ memoriam refricaret. Loquuntur pietatem nostram *Vita Lutheri ad B. Selnecceri ductum* recensita: *Quantum Reformatio Pontificiis ipsis non diffitentibus profuerit*, Dissertatio: & *Scholia nostra in Lutheri theses adversus Tezelium scriptas & hoc ipso die publice defensas.*

Tantum abest ut hujus nunc me pœniteat instituti, ut iisdem insistere vestigiis sedeat animo, atque *cum Respondente politissimo*

& in Ecclesiæ solatium adolescenti DN. JOANNE MOTHES, ex Hamburgensis Athenæi cathedra constituerim, *de modo agendi Leonis X. erga Lutherum exhibito, quo ipsorum inter Pontificios nasutiorum censuram notam odiumque in se derivavit*, disserere. Quod ut gloriam Divini numinis promoveat, Ecclesiæ fiat commodo, ipsos denique Adversarios in mentem inducat meliorem, supplicibus votis Christum Unicum illud Ecclesiæ Caput veneror!

CAPUT I.

Lemmata.

Th. 1. Ante A. 1516. indulgentias Lutherus pro Concione notavit invito Friderico Electore. Th. 2. A. 1516. publice disputavit adversus doctrinam pontificiorum de Libero Arbitrio, Zwinglius invidet Luthero reformationis gloriam: Respondetur Viro cuidam Clarissimo, Zwinglio faventi. Additur ad B. Scherzerum locus Archi Episcopi Tillotsoni. Th. 3. Natales tamen reformationis ad A. 1517. referuntur. Occasionem dedit Tezelii impudentia. Quæ indulgentiariæ concessionis causæ? Blasphemæ Tezelii voces. Th. 4. Opponit Lutherus disputationem Tezelio, quam & Alberto Archi-Episcopo Moguntino mittit. Ἀρχέτυπον *possidet Archivum Regium Potentiss. Regis Caroli XI. Svecor. Monarchæ, cujus laudatur clementia, exhibentur literæ, indicatur quibus in locis ab impressis differant. Th. 5. Mittit quoque Leoni X. theses Lutherus, cum magna obsequii significatione. Referuntur Lutheri Literæ.*

Thes. I.

NOn anno demum MDXVII. B. Parens Lutherus suum ab Ecclesia Romana dissensum est testatus, sed indulgentias pariter ac errores Romanæ Curiæ plurimos jam tum antea pro concione perstrinxerat. De quo neminem dubitare sinunt decem præcepta per Lutherum aliquot annis, antequam Controversia de indulgentiis exorta est, Witebergensi populo exposita, Tomoque primo Latinorum Operum Witebergensium sub initium statim inserta. Nolim Benevolum fatigare Lectorem prolixa verborum citatione, non possum tamen quin hæc pauca ex fol. XI. b. cum ipso communicem: *At multi hic objiciunt receptas illas peregrinationes ad S. Petrum in urbe, ad S. Jacobum, ad Jerusalem, ad Treverim, denique in diversa loca ad honorandas reliquias sanctorum & indulgentias obtinendas. Respondeo: Non peccaret, qui omnes eas omitteret & domi maneret: Non præ-*

præceptæ sunt, sed voluntariè assumptæ. Tamen ego non resistam tanto jam usui & consvetudini prævalidæ. Eant sane, qui volunt, dum modo id discant, sese interim eisdem sumptibus posse incomparabiliter melius Deo servire, & salutem suam operari, si domi serviant pauperibus, imo sibi commissis, ut uxori, filiis, familiæ, dominis. Deinde si flagella Dei patienter tulerint & quoscunque adversitates. Quasi vero non satis nobis pugnæ relictum sit domi cum diabolo, nisi & foras cum Dina egressi plus occasionum corruptionis quæramus. Quanti enim resistunt Cavillationibus & curis quibus in domestica Ecclesia impugnat corda nostra? deinde crapulis, lusibus & otiis per omnes dies nos vexat, omnia tentans, ne purus sit apud nos Dei cultus, & integra salus nostra. Id quoque nuper inventum est à nostra philargyria, quod septem aureæ missæ (scilicet ab aureo numo sic dictæ, quo persolvuntur) certis cereolis, certisque aliis ritibus celebrantur, nescio, pro quo certissimo eventu. Ita iniquissimus hostis, nec hoc saltem sacrificium nobis reliquit sincerum. Quid, si saccus ille avaritiæ pertusus & insatiabilis huc pertineat? ubi ad structuras Ecclesiæ offertur, mendicatur, corraditur thesaurus sine fine & reliquiis & indulgentiis NB. in hanc rem vaferrimè utuntur, ut ubi congesta fuerit pecunia, nec structuræ, nec pauperibus sed pro bello aut litibus, vel præsentibus expendantur vel futuris reserventur. Sic enim & claves Christi fecerunt avaritiæ ministerium, tamen sub sanctissima pietatis specie, ut aureos & argenteos numos perforent. Cur, si sola devotio quæritur, non potius papyrum aut tabulam perforant? Sed quid ego lernam avaritiæ in Ecclesia describere tento, de qua Propheta ipse desperans omniaque in unum excludens dixit: Omnes sequuntur avaritiam à maximo usque ad minimum. Sit tamen summa summarum, omnes hi sanctorum cultores contra hoc primum peccant præceptum, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt, in ipso etiam Deo & sanctis eis quærunt, suntque sibi ipsis hujus operis sui ultimus (ut dicitur) finis & idolum, utentes Deo, fruentes seipsis, de quibus potest illud dici Psf. 78. cum occideret eos, quærebant eum & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum & rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est. Sed quo corde id fecerint sequitur: Et dilexerunt eum in ore suo & lingva sua mentiti sunt ei, Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus. Et illud Christi Joh. 6. Amen dico vobis, quæritis me, non, quia signa vidistis sed quia manducastis & saturati estis. Eadem causa & illum repulit, qui dixit: Matth. 8. Magister. sequar te quocunque ieris, ipse vero: Vulpes, inquit, foveas habent & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Scilicet, ostendens quod non propter Jesum tantum, sed propter suam cupiditatem hæc dixisset ille.

Et paulo post: *Hic fiducia quoque indulgentiarum taxanda fuisset, nisi jam plus satis illa multis modis à me taxata fuisset.* Quibus quidem nullam apud Fridericum Electorem gratiam inierat, prout ex Lutheri querela in promtu est colligere, quam Tom. VII. Altenb. p. 462. legas his institutam verbis: Ich fieng säuberlich an zu predigen / man könte wohl bessers thun / das gewisser wäre / weder ablaß lösen / solche predigt hatte ich auch zuvor gethan hie auff dem schlosse / wider das ablaß / und bey Hertzog Friedrich damit schlechte gnade verdienet / denn er sein stifft auch sehr lieb hatte.

Thes. 2.

Hanc emendandi libertatem A. MDXVI. excipiebat Quæstio in Cathedra Academica sententiarum collationi exposita: *de Viribus & voluntate hominis sine gratia, contra doctrinam Papæ, habita A. MDXVI. Præsidente Eximio Viro Martino Luthero Augustiniano, Artium ac Theologiæ Magistro.* Juverit haud dubie ipsam cum brevior sit hoc loco retulisse ex Tom. I. Lat. Witeb. f. 50. b.

An homo ad Dei imaginem creatus naturalibus suis viribus Dei creatoris præcepta servare, aut boni quippiam facere, aut cogitare, atque cum gratia mereri, meritaque cognoscere possit?

Conclusio I.

Homo ratione animæ Dei imago, & sic ad gratiam Dei aptus, suis naturalibus viribus solis creaturam quamlibet, qua utitur, vanitati subjicit, sua & quæ carnis sunt, quærit.

Corollarium 1.

Homo vetus, vanitas vanitatum universaque vanitas, reliquas quoque creaturas alioqui bonas, efficit vanas.

Corollarium 2.

Carnis nomine dicitur homo vetus, non tantum quia sensuali concupiscentia dicitur, sed (etiamsi est castus, sapiens, justus) quia non ex Deo per spiritum renascitur.

Corollarium 3.

Etsi omnes infideles vani sint, nihil boni operantes, non tamen æqualem pœnam patientur omnes.

Conclusio II.

Homo Dei gratia exclusa præcepta ejus servare nequaquam potest neque se, vel de congruo, vel de condigno ad Gratiam præparare, verum necessario sub peccato manet.

Corollarium 1.

Voluntas hominis in gratia non est libera, sed servit, licet non invita.

Co-

Corollarium 2.

Homo, quando facit quod in se est, peccat, cum nec velle aut cogitare ex seipso possit.

Corollarium 3.

Cum justitia fidelium sit in Deo abscondita, peccatum verò eorum manifestum in seipsis, verum est, non nisi justos damnari atque peccatores & meretrices salvari.

Conclusio III.

Gratia seu charitas, quæ non (nisi in extrema necessitate) succurrit, inertissima est ac potius nulla charitas nisi extrema necessitas, non mortis periculum, sed cujuscunque rei defectus intelligatur.

Corollarium 1.

Christus Jesus virtus nostra, justitia nostra, cordium & renum scrutator, solus est cognitor meritorum nostrorum ac judex.

Corollarium 2.

Cum credenti omnia sint, autore Christo, possibilia, superstitiosum est, humano arbitrio aliis sanctis alia deputari auxilia.

Corollarium 3.

Est juxta præmissa ad quæstionem responsivum.

Hæc reputari poterunt ab instituto alieniora, sed in *Viri cujusdam Clarissimi* gratiam præmittenda videbantur, qui non adeo pridem per literas nobis objecit, tum *Zwinglii* jactantiam, tum *Hornbeckii*, (potuisset *Zwinglii nepotis* addere *in continuatione Genealog. Petri Pictavienſis Galli* Lib. IV. p. 180.) studium, initia reformationis Zwinglio, quod hic Anno 1516. jam emendationem fuerit aggressus, Lutherus autem demum 1517. vindicaturum.

Equidem Objectiones illas *Præceptor noster post fata venerandus Celeberrimus* SCHERZERUS jamdudum elisit programmate peculiari, quod quintum & decimum in ordine occupat locum p. m. 199. Nec fere est quod curis adeo meditatis addamus. Attamen testibus ex Reformatorum ordine adductis magnus recentiorum accedere potest numerus, quos eò adegit Veritas, ut Luthero reformationis gloriam, Zwinglio abjudicatam, minus inviderent. Ex recentissimis unicum nunc accipe autoritate maxime insignem venerandum Cantuariensium Archi Præsulem Joannem TILLOTSON Concione XXVII. p. 848. versionis Germanicæ Nachdem wir aber nun dieſes wiſſen / ſo werden wir auch anietzo hoffentlich deſto leichter auff dieſe ihre ſpitzfindige frage antworten können: Wo nemlich unſere religion vor Luthero geweſen ſey? Je da nemlich / wo das wahre Chriſtenthum war. An etlichen orten rein / an etlichen auch mehr verderbt und verkehrt: Inſonderheit aber war ſie in dieſen mitternächtiſchen theilen des Chriſten-

thums auff eine zeitlang mit vielfältigen irrthümern und fehlern angefüllet / welches alles miteinander die reformation glücklich abgeschnitten und weggeschafft hat. Daß also unsere religion so alt / als das Christenthum selbst ist / ob schon die *reformation* nur erst mit Luthero angefangen hat.

Thes. III.

Privata, quæ hactenus moliebatur Lutherus certamina, potuissent reputari, & sopita fuissent haud difficulter, nisi oleum flammæ divinitus excitatæ *Joh. Tezelii* impudentia affudisset. Circa idem tempus enim Leo X. *Alberto* Archi-Episcopo Moguntino, eam fecerat gratiam, ut copiam ipsi indulgentiarum impertiretur, quo par esset solvendis triginta aureorum millibus, quæ, pallium redempturus, a Fuggeris acceperat mutuo. Dimidiam enim tantum proventuum ex indulgentiis rediturorum partem, vel Magdalenæ Pontificis sororis, vel ærario Pontificio, in ædis D. Petri extruendæ usum, tenebatur inferre, reliqua suis destinare usibus Alberto licebat. Sua igitur autoritate *Tezelium* ordinis Dominici monachum & *egregium nequam* Albertus muniverat, ut votorum suorum quantocyus redderetur compos. Hic vero pudore omni posito ipsum venale exponebat Cœlum, sanctissimo Christi merito & cruciatibus maxime ineffabilibus, Evangelicæque virtuti nundinationem indulgentiarum vel anteferens, vel hæc omnia loco habens eodem. Ita enim blasphemas maledicti oris voces refert Megalander l. c. p. 462. neque cum fiducia negat *Florimundus Ramundus*, sed ad *Guicciardinum* quoque appellat, Lib. 1. de Orig. Hæres. p. 38. Dabimus illas ex *Selnecceri* Orat. *de Luthero p. 35. Clamores Tezelii fuerunt hi, quos jam audientes non tantum nostrates, sed etiam adversarii saniores, non possunt non detestari, videlicet 1) Crucem ligneam & rubeam insignibus Pontificis ornatam, tam esse efficacem, quam est crux ipsius Christi. 2) Plures animas, prædicatione Indulgentiarum liberari quam Petrus cum toto suo Evangelio liberare potuerit. 3) Indulgentiarum gratiam eam ipsam esse, qua homo cum Deo reconcilietur, & non esse aliam. 4) Si quis emat indulgentias Pontificis, ei non amplius opus esse ulla Contritione & pœnitentia. 5) Eo momento, quo nummus sonum edat in ærarium indulgentiarum conjectus, animam ex purgatorio ereptam in cœlum evehi. 6) Si quis in ipsam etiam Divam Virginem Mariam Deiparam deliquisset, quantumvis enormiter, vitiumque ei intulisset, aut in futurum alia peccata perpetranda animo suo constituisset, posse eum absolutionis certa participem fieri, imò, liberum esse ab omni culpa & pœna, si numeret modo quantum Indulgentiarum dignitas requirat.*

Thes.

Thes. IV.

Stygias istiusmodi hypotheses publica disputatione aggredi suarum arbitrabatur partium Lutherus. Quamobrem ipsis Encæniorum Witebergensium solennibus, quæ in Sanctorum incidunt Vigiliam, valvis templi OO. Sanctorum theses affigebat Tom. I. Opp. Latin. exhibitas & hoc insignitas titulo: *Amore & studio elucidandæ veritatis hæc subscripta themata disputabuntur Witenbergæ, Præsidente R. P. Martino Luthero Eremitano Augustiniano, Artium & S. Theologiæ Magistro ejusdem ibidem ordinario Lectore: quare petit, ut qui non possunt verbis præsentes nobiscum disceptare, agant id literis absentes. In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. MDXVII.*

Ne quid autem obsequii in se pateretur desiderari, dicto huic disputationi die literis Archi-Episcopum Moguntinum appellat, illumque officii sui admonet, tanta cum moderatione & mente adeo composita, ut institores illos quantum poterat excuset, omnemque culpam in populi transferat imperitiam. Ἀρχέτυπον illius Epistolæ Archivum servat Regium *Clementissimi Regis mei* CAROLI XI. *Suecorum Monarchæ, quod pro incredibili sua erga me gratia Rex Optimus & in manus mihi tradidit, & in meos deinde usus una cum aliis B. Lutheri epistolis, omnibusque illis quæ ex Archivo Regio* (liber enim ex Augustissimi Regis peculiari clementia ad Archivum mihi patebat aditus) *meis in Ecclesiam studiis inservitura habebam exploratum, publica fide describi jussit.* Dabo hic Epistolam prout in Archivo habetur.

Jhesus.

„Gratiam (a) & misericordiam Dei, & quicquid potest & est. Par„ce mihi Reverendissime in Christo Pater, Princeps Illustrissime, quod ego „fæx hominum, tantum habeo temeritatis, ut ad culmen Tuæ sublimitatis „ausus fuerim cogitare epistolam. Testis est mihi Dominus Jhesus, quod „meæ parvitatis & turpitudinis mihi conscius, diu jam distuli, quod nunc per„fricta fronte perficio, permotus quam maxime officio fidelitatis meæ, quam „Tuæ Reverendissimæ Paternitati in Christo debere me agnosco. Dignetur „itaque tua interim Celsitudo oculum ad pulverem unum intendere, & vo„tum meum pro tua (b) & pontificali clementia intelligere. Circumferun„tur Indulgentiæ Papales sub tuo præclarissimo titulo ad Fabricam S. Petri, „in quibus non adeo accuso prædicatorum exclamationes, quas non audivi, „sed doleo falsissimas intelligentias populi, ex illis conceptas, quas vulgo „undique jactant. Videlicet qvod credunt infelices animæ, si literas indul„gentiarum redemerint, (c) quod securi sint de salute sua. Item quod ani„mæ de purgatorio statim evolent, ubi contributionem in cistam conjecerint. „Deinde tantas esse has gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiam „(ut ajunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin possit solvi.

Item

„Item quod homo per istas indulgentias liber sit ab omni pœna & culpa.
„O Deus optime, sic erudiuntur animæ, tuis curis optime Pater commissæ,
„ad mortem. Et fit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omni-
„bus istis: idcirco tacere hæc amplius non potui. Non enim sit homo per
„ullum munus Episcopi securus de salute, cum nec per gratiam Dei infusam
„fiat securus: Sed semper in timore & tremore jubet nos operari salutem no-
„stram Apostolus: Et justus (d) vix salvabitur. Denique tam arcta est via,
„quæ ducit ad vitam, ut Dominus per Prophetas Amos & Zachariam salvan-
„dos appellet torres raptos de incendio. Et ubique Dominus difficultatem
„salutis denunciat. (e) Quomodo ergo per illas falsas veniarum fabulas &
„promissiones (f) faciunt populum securū & sine timore? Cum indulgentiæ
„prorsus nihil boni conferant animabꝰ ad salutē aut sanctitatem, sed tantum-
„modo pœnam externam olim Canonice imponi solitam auferant. Denique
„opera pietatis & charitatis sunt in infinitum meliora indulgentiis, & tamen
„hæc non tanta pompa nec tanto studio prædicant, imo propter venias prædi-
„candas illa tacent: Cum tamen omnium Episcoporū hoc sit officium primū
„& solum, ut populus Evangelium discat (g) atque charitatem Christi. Nus-
„quam (h) etiam Christus præcepit indulgentias prædicari (i) sed Evangelium
„vehementer præcepit prædicari. Quantus ergo horror est, quantum peri-
„culum Episcopi, si tacito Evangelio, non nisi strepitus indulgentiarum
„permittat in populum suum, (k) & has plus curet quam Evangelium. Non-
„ne dicet illis Christus: Colantes culicem & glutientes Camelum? Accedit
„(l) adhæc Reverendissime Pater in Domino, quod in instructione illa Com-
„missariorum sub Tuæ (m) Paternitatis nomine edita dicitur (utique sine Tuæ
„Paternitatis Reverendissimæ & scientia & consensu) unam principalium
„gratiarum esse, donum illud Dei inæstimabile, quo reconciliatur homo
„Deo, & omnes pœnæ delentur purgatorii. Item quod non sit necessaria
„contritio (n) iis, qui animas vel confessionalia redimunt. Sed quid faciam?
„Optime Præsul & Illustrissime Princeps, nisi quod per Dominum Jhesum
„Christum Tuam Reverendissimam Paternitaten orem, quatenus oculum
„paternæ curæ dignetur (o) advertere, & eundem libellum penitus tollere,
„& prædicatoribus veniarum imponere aliam prædicandi formulam, ne forte
„aliquis tandem exsurgat, qui editis libellis, & illos & libellum illum con-
„futet, ad vituperium summum Illustrissimæ Tuæ sublimitatis, quod ego
„vehementer quidem fieri abhorreo, & tamen futurum timeo, nisi cito suc-
„curratur. Hæc meæ parvitatis fidelia officia rogo Tua illustrissima gratia
„dignetur accipere (p) modo Principali & Episcopali, id est clementissimo,
„sicut ego ea exhibeo corde fidelissimo & Tuæ Paternitati Reverendissimæ de-
„ditissimo. (q) Sum enim & ego pars ovilis Tui. Dominus Jhesus custodiat
Tuam

„Tuam Reverendissimam Paternitatem in Æternum Amen. Ex Witten-„berga 1517. Vigilia omnium sanctorum.

Si Tuæ Reverendissimæ Paternitati placet, poterit has meas disputationes videre, ut intelligat, quam dubia res sit Indulgentiarum opinio, quam illi ut certissimam (r) somniant.

(s) *Indignus Filius*
Martinus Luther Augustin. Doctor
S. Theol. vocatus.

Reverendissimo in Christo Patri, Illustrissimo Domino D. Alberto Magdeburgensis ac Moguntiensis Ecclesiarū Archi-Episcopo, Primati, Marchioni Brandenburgensi &c. Dn. suo & Pastori in Christo venerabiliter metuendo ac gratiosissimo.

(L. S.)

Literæ Doctoris Martini Ordinis S. Augustini ad Dominum Nostrum Reverendissimum, apertæ in Calbe per Consiliarios feria 3. post Briccii Anno Domini XVII.

Cum originali concordare vidi
S. Leyonmarck
Secr. Arch. Reg.
(L.S.)

Quæ quidem literæ ab impressis in oppido paucis differunt, prout sequens schema declarabit. (a) Impressæ omittunt verba *& misericordiam.* (b) Omittunt vocem *&*, (c) ita habent: Se *securas esse de salute sua.* (d) Addunt verba: *inquit Petrus.* (e) Legunt: *Cur ergo.* (f) Addunt: *prædicationes eorum.* (g) & in *atque mutant.* (h) Sic verba locant: *Nunquam enim præcipit Christus indulgentias &c.* (i) verba: *Sed Evangelium vehementer præcepit prædicari*, plane negligunt. (k) addunt vocem *spargi.* (l) habent: *Accedit ad hoc.* (m) addunt: *Reverendissimæ.* (n) *loco* iis *ponunt* his (o) legunt: *admittere.* (p) *animo Principali.* (q) *Quando & ego pars ovilis Tui sum.* (r) *Seminant.* (s) hac tantum gaudent subscriptione: *T. Reverendissimæ P. Martinus Lutherus.*

Th. V.

Dici vix potest, quam brevi temporis intervallo universum ferme, qua patet, orbem Christianum hæ Lutheri theses Tezelio oppositæ impleverint. Haud multo post Romam rumor de illis pervagabatur, tacitas multorum cogitationes in lucem protrahens, alios autem (& illos quidem cumprimis ad quos nundinationis spectabat negotium) adeo commovens, ut à furore abesserent parum. Tezelius cum Dominicanorum universo ordine & imperita

Parochorum turba Romani Vejovis in Lutherum urgebat fulmen, quod ut declinaret ac quanti Pontificis Romani faceret autoritatem, suis Lutherus thesibus, quæ obtorto collo in Pontificis rapiebantur contemptum, lucem accendebat: omnem Papæ observantiam testatus (erat enim, si quisquam illo tempore, Lutherus observantissimus Papæ, ita enim ipse Lutherus Præfat. ad Tom. 1. Witteberg. *Sciat Lector me fuisse aliquando Monachum & Papistam insanissimum, eum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim, omnes si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel una Syllaba obedientiam detrectarent.*) & sua molimina judicio Pontificis nec minus Ecclesiæ totius exponens. Operæ fuerit pretium indicem tantum obsequii & submissionis oculis hic usurpasse *ex Tom. I. Lat. Wittebergens. pag. 500. b.*

BEATISSIMO PATRI LEONI DECIMO PONT. MAX. F. Martinus Lutherus Augustinianus, salutem æternam.

„AUditum audivi de me pessimum, beatissime Pater, quo intelligo, quos„dam amicos feciſſe nomen meum graviſſime coram te & tuis fœtere, ut „qui authoritatem & potestatem clavium & summi Pontificis minuere moli„tus sim. Inde hæreticus, apostata, perfidus & sexcentis nominibus, imo i„gnominiis accusor. Horrent aures & stupent oculi. Nec nova audio, ta„libus enim insignib9 & in nostra Regione me ornaverunt, homines isti hone„stissimi & veraces, id est, pessime sibi conscii, qui sua portenta mihi conantur „imponere, & mea ignominia suas ignominias glorificare. Sed rem ipsam, „beatissime Pater, digneris audire ex me infante & inculto. Cœpit apud nos „diebus proximis prædicari jubileus ille Indulgentiarum Apostolicarum, pro„fecitque adeo, ut præcones illius, sub tui nominis terrore, omnia sibi licere „putantes, impiissima hæreticaque palam auderent docere, in graviſſimum „scandalum & ludibrium Ecclesiasticæ potestatis, ac si Decretales de abusio„nibus questorum nihil ad eos pertinerent. Nec contenti, quod liberrimis „verbis hæc sua venena diffunderent, insuper libellos ediderunt & in vulgum „sparserunt. In quibus, ut taceam insatiabilem & inauditam avaritiam, quam „singuli pene apices olent crassissime, eadem illa impia & hæretica statuerunt, „& ita statuerunt, ut confessores juramento adigerent, quo hæc ipsa fideliſſi„me instantissimeque populo inculcarent. Vera dico, nec est, quo se abscon„dant à calore hoc. Extant libelli, nec possunt negare. Agebantur tum illa „prospere, & exugebantur populi falsis spebus, & ut Propheta ait, carnem de„super ossibus eorum tollebant. Ipsi vero pingvissime & svavissime interim „pascebantur. Unum erat, quo scandala sedabant, scilicet, terror nominis tui,„

„tui, ignis comminatio, & Hæretici nominis opprobrium. Hoc enim in-
„credibile est, quam propensi intentare, quandoque etiam si in meris opinio-
„sisque nugis suis contradictionem sensserint, si tamen hoc est scandala seda-
„re, ac non potius mera tyrannide schismata & seditiones tandem suscitare.
„Verum nihilominus crebrescebant fabulæ per tabernas de avaritia sacerdo-
„tum, detrectationesque clavium, summique Pontificis, ut testis est vox to-
„tius hujus terræ. Ego sane (ut fateor) pro zelo Christi, sicuti mihi vide-
„bar, aut si ita placet, pro juvenili calore urebar, nec tamen meum esse vide-
„bam, in iis quicquam statuere aut facere. Proinde monui privatim aliquot
„magnates Ecclesiarum. Hic ab aliis acceptabar, aliis ridiculum, aliis aliud
„videbar, prævalebat enim nominis tui terror & censurarum intentatio. Tan-
„dem, cum nihil possem aliud, visum est, saltem leniuscule illis reluctari, id
„est, eorum dogmata in dubium & disputationem vocare, itaque schedulam
„disputatoriam edidi, invitans tantum doctiores, si qui vellent mecum disce-
„ptare, sicut manifestum esse, etiam adversariis oportet, ex præfatione ejus-
„dem disceptationis. Ecce, hoc est incendium, quo totum mundum querun-
„tur conflagrari, forte, quod indignantur me unum, autoritate tua Apostoli-
„ca Magistrum Theologiæ, jus habere, in publica schola disputandi pro mo-
„re omnium Universitatum & totius Ecclesiæ, non modo de Indulgentiis,
„verum etiam de potestate, remissione, Indulgentiis divinis, incomparabili-
„ter majoribus rebus. Nec tamen multum moveor, quod hanc mihi facul-
„tatem invideant, à tuæ B. potestate concessam, qui eis favere cogor invitus,
„multo majora, scilicet, quod Aristotelis somnia, in medias res Theologiæ
„miscent, atque de divina Majestate meras nugas disputant, contra & citra fa-
„cultatem eis datam. Porro, quodnam fatum urgeat has solas meas disputa-
„tiones præ cæteris, non solum eis, sed omnium Magistrorum, ut in omnem
„terram pene exierint, mihi ipsi miraculum est. Apud nostros & propter
„nostros tantum sunt editæ, & sic editæ, ut mihi incredibile sit, eas ab omni-
„bus intelligi, disputationes enim sunt, non doctrinæ, non dogmata, obscu-
„rius pro more, & ænigmaticῶς positæ. Alioqui si prævidere potuissem, cer-
„te id pro mea parte curassem, ut essent intellectu faciliores. Nunc quid fa-
„ciam? Revocare non possum, & miram mihi invidiam ex ea in vulgatione
„video conflari, invitus venio in publicum, periculosissimumque ac varium
„hominum judicium, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eru-
„ditione, deinde nostro florentissimo seculo, quod pro sua in literis & inge-
„niis felicitate, etiam Ciceronem cogere possit ad angulum, lucis & publici
„alioqui non ignavum sectatorem, sed cogit necessitas, me anserem strepere
„inter olores. Itaque quo & ipsos adversarios mitigem, & desideria multo-

„rum expleam, emitto ecce meas nugas, declaratorias mearum disputationum, „emitto autem quo tutior sim, sub tui nominis præsidio, & tuæ protectionis „umbra, beatissime Pater, in quibus intelligent omnes, qui volent, quam pu„re simpliciterque Ecclesiasticam potestatem & reverentiam clavium quæsie„rim & coluerim, simulque quam inique & falsè me tot nominibus adversarii „fœdaverint. Si enim talis essem, qualem illi me videri cupiunt, ac non po„tius omnia disputandi facultate, recte à me tractata fuissent, non potuisset fie„ri, ut Illustriss. Princeps Fridericus Saxoniæ Dux, Elector Imperii &c. hanc „pestem in sua permitteret Universitate, cum sit Catholicæ & Apostolicæ ve„ritatis unus facile amantissimus, nec tolerabilis fuissem, viris nostri studii a„cerrimis & studiosissimis. Verum actum ago, quando illi svavissimi homi„nes non verentur mecum & Principem & Universitatem pari ignominia con„ficere palam. Quare, beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ B. offe„ro, cum omnibus quæ sum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, appro„ba, reproba, ut placuerit, vocem tuam, vocem Christi, in te præsidentis & „loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo, Domini e„nim est terra, & plenitudo ejus, qui est benedictus in secula Amen, qui & te „servet in æternum, Amen. die S. Trinitat. Anno M D XVIII.

Lege hæc grata versus Deum mente Lector, ac divinam recole providentiam, quod Lutheri preces locum non invenerint, quo cadere poterant.

Caput II.

Lemmata.

Th. I. Causæ iniquioris in Lutherum processus. Mens Leonis pietatis expers. Locus Pallavicini & Heideggeri. Th. II. Venationis studium quod turbare non patiebatur. Locus Jovii. Onuphrii Panvinii. Th. III. immodicæ Leonis profusiones. Locus Pauli Langii Monachi. Th. IV. Adversariorum Lutheri intemperantia. Sylvester Prierias quis? quam jejunè scripserit. Jacobus Hochstraten quis? inter obscuros Viros refertur à Reuchlino aut Hutteno, inter illustres à Mireo. Th. V. Leo X. an suo usus ingenio benignior Luthero? locus Leonis ad Gabrielem Venetum. Th. VI. Lutherus Romam citatur, qui destinati judices? In Germania coram Cajetano comparere debet. Cajetanus judex quam suspectus. Commendatur Raynaudus de Dominicanis. Locus Lutheri de judicibus sibi assignatis. Th. VII. Comparet Lutherus, quid actum Augustæ? Th. VIII. Pontifex Indulgentias novas bulla confirmat. Th. IX.

Lu-

Lutheri appellationes negligit. Excommunicat Lutherum, Bulla excommunicationis, cum variis lectionibus animadversionibus theologicis, politicis & criticis.

Thes. I.

AN est quidquam similius insaniæ quam ira? *quam bene Ennius initium dixit insaniæ*, recte *Cicero* judicat IV. Tuscul. c. 23. delata enim ad Leonis aures per Lutheri adversarios de thesibus fama, ita de potestate, de consilio, de ratione, de mente exibat, ut neque Lutheri admitteret excusationem, neque Ecclesiæ neque sibi consuleret. Incidebat Lutherus in Pontificem sanctissimum quamvis titulo, reipsa impiissimum: non diffitetur id *Sfortia Pallavicinus* Rom. Eccl. Card. in Historia Concil. Trid. Lib. 1. c. 2. f. 4. *Cum Leo Pontifex factus est, affirmare non ausim, tantam in eo Curam pietatis eluxisse, quantam celsitudo illa pene divina postulabat.* Riget manus, horret mens ad illa, quæ *Heideggerus* periodo sexta Ecclesiæ Romanæ p. 205. ex scriptore papæo refert. *Eidem Leoni cum aliquando Bembus, vir excellenter doctus, & post Cardinalis delectus, locum quendam e sacris Bibliis in sermone privato retulisset, molestius id ferens Papa, quid inquit mihi narras istam de Christo fabulam? Et ne ab hæreticis hæc conficta clamitent ὅτι ἐξ ἐναντίας, ejus rei αὐτόπτην & αὐτήκοον testem damus, qui & scire debebat, & causam cur mentiretur, non habebat; Johannis Pici, Mirandulani Comitis nepotem ex fratre minimè degenerem, qui in illo Pisani & Lateranensis Concilii conflictu, quæstionem tractans, utrum Concilia vel Pontifices errare possint, inter alia de Leone hoc loquens: Meminimus inquit Pontificem creditum & adoratum, qui nullum Deum credens, omne infidelitatis (ἀθεότητος) culmen excederet: pessimaque ejus opera in coëmendo Pontificatu, in omnigenis sceleribus exercendis, id ipsum testabatur: Sed & pessima quoque dicta confirmabant. Namque fassum eum affirmabatur domesticis quibusdam, nullum se Deum aliquando, etiam dum Pontificiam sedem teneret, credidisse, quæ ejus verba libro de fide & ordine credendi theorem. 4. pag. 259. 260. legere est.* Ab isto autem medicinam Ecclesiæ expectarier!

Thes. II.

Tempus omne venationi & aucupiis dabat Leo, venationem ferarum animarum venationi longe præferens. Ita de Leone *Paulus Jovius Tom. II. de Vita Leonis X. Lib. IV. p. 196.*

Venationibus etiam & aucupiis nobilioribus adeò perditè studebat, ut spurcissimas sæpe tempestates insalubresque ventos, & frequentia mansionum ac itinerum incommoda obstinatè contemneret: confisus ætati ac firmæ valetudi-

ni, quam equitatione varioque motu corporis se tueri posse existimabat, præsertim si in ambulationibus apertis vagaretur, ac animam innati caloris copia æstuantem, & cœlo libero & multo spiritu recrearet: quando & super hæc antiqui ulceris beneficio juvaretur, quo ab ima sede, quicquid stomachi vel jecinoris vitio conceptum foret, sensim effluere consuevisset. Manlianam villam secundum Tiberim quinto ab urbe lapide, quanquam proximi stagni halitu & caliginosi aëris intemperie prope toto anni tempore infamem, hyeme maximè frequentabat: Ex ea enim velut ex portu venatorum classes in subjectos Salinarum campos cervorum copia celebres educebantur. In venando autem sicuti præcepta artis ad normam exactioris disciplinæ patientissimè observare erat solitus, ita severitatem aspere admodum vir alioqui lenissimus semper exercuit, in eos præsertim, qui petulanti discursu aut vocibus temerè editis improvisa feris effugia præbuissent: ita aut claros sæpe viros acerbissimis contumeliis oneraret. At si quando imperitia, vel fortuito errore hominum, aut feris subtiliore aliquo insperatæ fugæ compendio servatis, vel iis denso in nemore contumacius latentibus infeliciter venaretur, incredibile est quali vultus animique habitu dolorem iracundiamque præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta provocandæ liberalitati maximè adversa sedulo devitabant: quando alias secundum opimam venationem, ac præsertim vario ac insigni labore aliquo nobilem, maxima beneficia incredibili benignitate collocaret. Ipso fermè semper æstatis exitu, quum primum cœlum pleniore pluvia temperatius foret, ac insalubres æstus frigidiore aura mitescere viderentur, urbe statim Viterbium ad aquas calidas evolabat, ubi coturnicum perdicumque & phasianorum aucupiis aliquandiu erat intentus, quod genus avium accipitribus ac asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Ad Vulsinios demum, propter lacus amœnitatem ac eximiam ejus tractus rerum omnium fertilitatem, ex itinere deflectebat, & in insula & ad exitum Martæ amnis piscabatur. Quibus in locis regali apparatu excipere eum solebat Alexander Farnesius Cardinalis, qui eam regionem frequentibus villis atque prætoriis ingenti ac erudito sumptu passim ædificatis, consitisque fructiferis arboribus exornabat. Inde per Tuscum ag[illegible]n venabundus modicis itineribus ad mare circa Graviscas & Centum cellas descendebat. Quo viæ flexu apud Cornetum in Tarquiniensi longe celeberrima cervorum aprorumque venatio parabatur, & ea quidem in per[illegible]ipla planitie ac maximè ad tendendas insidias opportuna, quæ artificio na[illegible]humanis voluptatibus arridentis, perpetuis terrenis collibus cincta, ingentis amphitheatri speciem ad ferarum exitium venantibus præbet. Sub ipsas demum Novembres calendas à Centum cellis per Alsium & Cereveteris sylvas in urbem redibat, nec multò post in Manlianum revertebatur, vixque inde revelli poterat, nisi aut

aut senatus habendi, aut solennium sacrorum causa ad urbem vocaretur. Erat enim is locus edendis ardearum ac miluorum præliis peridoneo, quæ geminis aut pluribus mansuefactis falconibus in sublime manu emissis adversus id genus avium vario, ac ob id maximè spectabili eventu per immensa cœli spatia miscebatur.

Gemina his habet *Onuphrius Panvinius* de Vita Leonis X. p. m. 351. *Id unum ei datum, quod voluptatibus, venationibus, aucupiis effuse deditus, luxui & splendidissimis Conviviis, musicæque magis quàm tantum Pontificem deceret, totus impenderet.* Descriptis ita in horas & dies temporibus quod emendationi vacuum Ecclesiæ? & quis in Leonem magis injurius præ illo, qui hos dignos Pontifice circulos turbaret?

Th. III.

Neque immodicæ Leonis X. profusiones, majorum in dies opera accessionem sitientes, Lutheri Zelum ferre poterant, indignatione adversus indulgentias illis oppidò inimicum. Non mihi temperare possum, quin quæ coætaneus Scriptor *Paulus Langius Monachus* in Chronico Cizizensi f. 896. in Tomo *Pistorii* Scriptor. Germ. de Leonis auri sacra fame testatur, hic apponam. „Patrio itaque more (ut opera ejus de eo testimonium perhibent) „auri sitientissimus est, nimirum cum Romanorum avaritiæ Florentinorum „accesserit cupiditas, aurique sacra fames creverit in immensum, crescitque „usque modo amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, sæviorque ignibus „Æthnæ ardet amor habendi, quemadmodum & pulcherrimè concordans „dictis Naso inquit: *Creverunt & opes & opum furiosa libido.* Quo magè „sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Amore equidem auri & nunc Romæ cuncta „venalia sunt; auro mediante Simonia toleratur, præbendarum pluritas in „infinitum conceditur; beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis & Cardinalibus & Protonotariis atque amicis Papæ reservantur; expectativæ gratiæ sine „numero conceduntur; annatæ sive medii fructus absque ulla dilatione temporis exiguntur. Quin immo ipsæ annatæ, in quas tempore Calixti Papæ „tertii ad quatuor Principes consenserunt annos, non modo adhuc durant, „sed & indies magis crescunt, duriusque premunt & opprimunt. Et nisi iidem „principes remedium adhibere procurent, omne æs & aurum pededentim „hoc malo è Germania corrasum & haustum Romam velut in sacculum per„tusum & inexplebilem voraginem portabitur. Dimembrationes Monaste„riorum & Ecclesiarum permutationes, quemadmodum Hallis inter canoni„cos regulares & fratres prædicatores nunc de novo, & nostro hoc præsenti „anno quo hæc scribo, Domini videlicet M. DXX. dolenter cernimus fieri, „injustissimè admittuntur; Ecclesiarum quoque regimina non magis me-

renti,

„renti, sed magis offerenti committuntur; electiones Prælatorum passim „rejiciuntur, & Romanis tribuuntur; pro palliorum archiepiscopalium re„demptione ingens pecunia in damnũ Ecclesiarum, contra sanctionem Leo„nis Papæ ejus nominis secundi, imo contra sacri Basilienſis Concilii decre„tum, pro usu pallii, aliorumve officiorum confirmatione & impetratione, „nihil persolvendum statuentis, exigitur & extorquetur. Quam quidem „exactionem præter simoniam complura alia sequuntur incommoda.

„Nam nostra ætate archipræsules pecuniam, quam pro pallio seu „etiam confirmatione obtinenda Romam mittere coguntur immediatè, „quatenus ipsi indemnes maneant, & thesauros suos non minuant, æquiva„lentem, imo multo ampliorem sub nomine subsidii extorquent pecuniam, „quemadmodum nuper in archiepiscopatu Magdeb. contigisse haud absque „querela pauperum (proh dolor) audivimus. Per prædicta itaque, & simi„lia quæ ex Romana curia manant gravamina, per orbem Christianum ruinæ, „destructiones & ærumnæ oriuntur. Nec mirum, cum ipsa Germaniæ su„prema & principalis quondamque potentissima, Moguntinensis Archiepi„scopalis Ecclesia, ob eas res causasque maximis & permultis onerata sit de„bitis, & vehementer exhausta.

Hactenus Langius. Et quas Magdalenæ sororis preces, Cardinalis Puccii individui Comitis avaritia, fides sorori data, adversus Lutherum flammas non excitabant?

Th. IV.

Inflammabat etiam Leonis animum Adversariorum Lutheri intemperantia. Congrediebantur cum Martino publicis scriptis *Doct. Eckius*, *Sylvester Prierias* & *Jacobus Hochstraten*, quorum primus calamum continebat in officio. *Sylvester* autem *Prierias* Ordinis Prædicatorum S. Palatii Magister, qui cum tantum Luthero inferior esset eruditione quantum causæ bonitate ab eo superabatur, nihil reliqui habuit ad quod confugeret, quam summam Pontificis Maximi autoritatem, qua impietates suas defendebat, clypeique instar objiciebat Luthero, ut evibraturus tela Lutherus in sui defensionem non Prieratem, sed ipsum Pontificem petere cogeretur. Prostituit autem tam miserè causam Pontificis, ut silentium ipsi propterea a Leone impositum fuisse autor sit *Erasmus* Lib. XIX. Epist. 71. Etiam *Sfortia Pallavicinus* Lib. I. Hist. Concil. Trident Cap. 6. fatetur admodum jejune & non nisi Pontificis opposita autoritate objectionibus Lutheri respondisse.

„Illic Sylvester Prierias Sacri Palatii Magister ac generalis quæsitor fidei, Theologiæ præsertim Moralis peritissimus, ut ex ejus voluminibus liquet,

„liquet, opuſculo Pontificum dicato ea refutavit. Sed quam appoſite pro-
„ponebatur ibi fallacia Lutheri ſophiſmatum, tam jejune rationes afferebantur ad revincendam falſitatem illius aſſertionum, cum eæ non ſemel tanquam
„hæreticæ ibi damnarentur, non alio fere argumento quàm Pontificiæ auto-
„ritatis. Quare ſcriptum illud & Lutherum exaſperavit, quod ſe alte petitum cerneret probris æmulorum, quibus humana ſuperbia nunquam ſe victam fatetur, & plane ipſum edocuit, hanc infamiam evitari non poſſe, niſi
„oppugnata Romani Pontificis Poteſtate, induxitque ut crederet ea ſemel expugnata nullum aliud ſupereſſe vincendum magni roboris obſtaculum. Hæc Pallavicinus.

Illud autem negare nulli poſſumus, Eccleſiæ in re maxima profuiſſe illud Sylveſtri ſcriptum. Illius etenim beneficio Anti-Chriſtum in templo Domini ſedentem, Romanamque Curiam Satanæ Synagogam primum intuebatur Megalander. Placet ipſum audire Lutherum To. I. Witteb. fol. 188.

MARTINUS LUTHERUS PIO LECTORIS.

„HActenus cum Sylveſtro meo, chariſſime Lector, ſi me vidiſti in re Pontificia agere, ut magis jocarer & luderem, quàm ſerio quicquam tentarem. Quem animum mihi præſtabat, quod hominem viderem, non modo rudis & barbari ingenii, verum etiam tenebris Thomiſticis, & nugalibus
„Pontificum ſeu potius Scribarum indoctiſſimorum Decretis captivum, quadam ſimplici ſtoliditate, ex me quærere triumphum. At nunc, quid monſtri aluerit, in lucem prodit. Ulturus enim homo miſerabilis jocos meos,
„Epitomen, ſeu (ut ſylveſtraliter græciſſem) Epithoma reſponſionis ad Martinum Lutherum edidit, tot tantisque blaſphemiis à capite ad pedes uſque
„refertum, ut in medio tartaro ab ipſomet Satana editum libellum exiſtimem.
„Si Romæ ſic ſentitur & docetur, ſcientibus Pontifice & Cardinalibus (quod
„non ſpero) libere pronuncio his ſcriptis, Antichriſtum illum verum ſedere
„in templo Dei, & regnare in Babylone illa purpurata, Roma. Et curiam
„Romanam eſſe Synagogam Satanæ. Quid dicam? Papam quemvis, etiam
„impium, Deum nobis facit, & robur divinæ ſcripturæ, id eſt, verbi Dei vim,
„quod eſt ipſe Deus, ex illius hominis, etiam impii, autoritate pendere ſta-
„tuit, cum tamen omnes ſimul fateantur, Papæ autoritatem robur habere ex
„illo Chriſti: Tu es Petrus &c. Paſce oves meas: Hoc eſt, non ſcripturas ex
„Papæ autoritate, ſed autoritatem Papæ ex ſcripturis pendere. Neque enim
„ubi urgentur, alio confugiunt, quam ad harum ſcripturarum ceu aſylum,
„quo ſe muniant & roborent. At nunc Satan iſte ſcripturas per hominem

„roborat. Quid est Antichristus, si talis Papa non est Antichristus? O Satan, „Satan, quamdiu abuteris patientia Creatoris tui in tuum magnum malum. „Quanquam ego libens admitto Sylvestro miserabili, ut scripturæ robur à „Papa accipiat. Hæc enim erit una via negandæ tyrannidis Papalis, & semel „evertendæ. Cum enim Papatum è Scriptura statuant, & Scripturæ autorita„tem per autoritatem Papæ elevent, jam Papa nullo testimonio nitetur, nisi sui „ipsius, nec jure divino, sed suo proprio stabit. Sed quid confutem rabiem bla„sphemi Satanæ tam manifestam? optima erit confutatio, si libellum ipsum, ut „editus est, nudum invulgavero, secum habet suam confutationem plus quam „optare queam, potentem. Itaque lege Lector, & geme, gloriam Romanæ „Ecclesiæ eò cecidisse, ut hæc hæretica, blasphema, diabolica, tartarea venena, „non modo intra se concipiat & alat, sed in orbem quoque propaget. Eant „nunc qui gloriantur Romanam Ecclesiam nunquam fuisse hæresi contami„natam. Unus hic Sylvester Arium, Manichæum, Pelagium & omnes „alios incomparabiliter superat. Si sic Roma credit, beata Græcia, beata „Bohemia, beati omnes qui sese ab ea separaverunt, & de medio istius Baby„lonis exierunt, damnati vero omnes, qui ei communicaverint. Et ego „quoque, si Pontifex & Cardinales hoc os Satanæ non compescuerint, & ad „palinodiam adegerint, his testibus confiteor me dissentire Romanæ Eccle„siæ, & negare eam cum Papa & Cardinalibus, tanquam abominationem „stantem in loco sancto. Extincta est in ea jamdudum fides, proscriptum „Evangelium, exul Christus, mores plusquam barbarici. Una erat reliqua „spes, Scripturæ S. illibata autoritas, & ejusdem recta saltem opinio, si nulla „intelligentia. Jam & hanc Satan occupat, arcem Zion & turrim David, „hactenus inexpugnabilem. Nunc vale infelix, perdita & blasphema Roma, „pervenit ira Dei super Te: sicut meruisti in finem: Nec tot orationibus, quæ „pro te fiunt, nisi in dies pejor fieri voluisti, curavimus enim Babylonem & „non est sanata, relinquamus ergo eam ut sit habitatio draconum, lemurum, „larvarum, lamiarum & juxta nomen suum Confusio sempiterna. Idolis „avaritiæ perfidis, apostatis, cynædis, priapis, latronibus, Simonibus & infini„tis aliis monstris ad os plena, & novum quoddam Pantheon impietatis. Va„le mi Lector & dolori meo ignosce & compatere.

Sed ad tertium denique Lutheri antagonistam devenio *Jacobum* scilicet *Hochstraten*, Doctorem & Professorem Colonienſem Ordinis S. Dominici. Hæreticæ pravitatis is erat quæsitor, homo si quis unquam solidioris Theologiæ & literarum elegantiorum prorsus ignarus, ut ipsi in epistolis Obscurorum virorum vel *Reuchlinus* vel *Huttenius* (hos enim libelli lepidissimi autores Eruditi tradunt) maximo jure locum adsignaverit principem,

cipem, quo jure verò eum Doctissimus *Miræus* inter *Illustres Belgii scriptores* in Elogiis Belgicis p. 60. retulerit? nullam certe causam, si ab errorum necessitate abeas, allegare habeo. Ille autem, ut ex vero Ovidium ceciniſſe

Ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

ruditate & ferocia ſua confirmaret, Pontificem igni tradat Lutherum, publico ſcripto monet, inſtat, urget. Conf. *Lutherum* Tom. I. Witteb. Lat. f. 115. Habes, Lector Benevole, principes cauſas, quæ Leonem in furorem adverſus Lutherum agebant.

Th. V.

Ne quis vero objiciat mihi, *Leonem* ipſum procliviorem fuiſſe ad leniora remedia adhibenda quibus Lutherum compeſceret: equidem non me fugit ſub Anni 1518. initium Leonem X. ad Gabrielem Venetum ordinis Auguſtinianorum Eremitarum Promagiſtrum, in mitiorem ſententiam ſcripſiſſe, ita vero Leo Lib. XVI. Epiſtolarum Bembi p. 406.

Quare mando tibi ea lege, quæ de ſpreto imperio eſt, ut Magiſtratum ſtatim ineas, ne quid ibi poſthac de venia ſperandum putes. Atque ut jam tibi aliquid præcipiam, in quo multò maxima atque ampliſſima tui muneris pars jam nunc exerceatur, volo te eam curam ſuſcipere ut Martinum Lutherum tuæ ſocietatis ſacerdotem, quem ſcire te exiſtimo in Germania novas res moliri, nova dogmata noſtris populis tradere, quibus utantur, ab incœpto, ſi potes, revoces autoritate ea, quam tibi præfectura dat, cùm ſcriptis ad eum literis, tum per doctos & probos internuncios, quos te illic habiturum multos puto, qui placare hominem conentur. Id ſi celeriter feceris, non erit puto difficile modò natam flammam extinguere. Parva enim omnia atque ſurgentia paulum magnos vehementesque impetus non ſuſtinent. Sin differes, & malum vires ſumpſerit, vereor ne cùm velimus adhibere incendio remedia, non poſſimus. Gliſcit enim indies labes, fortiorque fit atque robuſtior, nihil ut magis eſſe nobis timendum videatur, quam mora. Sed ſingula tibi me mandare hac in re, non neceſſe eſſe arbitror. Tua te virtus, tua religio, tua pietas, tua ſingularis doctrina, quid te facere oporteat, facile admonuerint. Totum hoc mando, ut omnem tuam mentem, cogitationem, ſtudium, operam, omnem denique cùm diligentiam, tùm laborem adhibeas tuum, ut quod volumus, conſequamur. Id jure abs te poſtulatur, vel quia imperium in illum jam habes: vel quia ipſe cæteris & prudentior es, & doctior: vel quoniam reipubl. maxime intereſt, cujus tu Magiſtratum geris: vel etiam propterea, quia ego imprimis fieri cupio, qui quidem tam te amo, & tibi tantum tribuo, ut nihil planè ſit, quod mihi vel privatim debeas. Datis tertio Non. Febr. M. D. XVIII. Anno quinto Roma.

At enim si consideres postea in proxime datis (cum Generalis totius Ordinis Augustiniani Gabrieli collata confirmaret axiomata) nihil tale juberi Gabrielem, neque porro humanius cum Luthero actum fuisse, facile intelligas, obiter tantum hæc venisse in mentem Leoni, non plene comprobata aut unquam data executioni.

Thes. VI.

Mense à disputationis adversus indulgentias nono, ingens Leonis ira in flammas publicas erumpebat. Jubetur intra sexagesimum diem Romam accedere Lutherus, ut præsens causam ibi dicat. Judices Leonis consilio Luthero dicti, præter *Hieronymum de Genutiis* Asculensem Episcopum, insigni & theologico pariter & politico errore (Solœcismum vocare solemus) & *Sylvester* ille *Prierias*, cujus supra nobis facta mentio, infensissimus Lutheri hostis, homo stolida audacia ferox immodicusque sui æstimator. Ægre tandem id datum fuit precibus Divi FRIDERICI Electoris, ut Luthero integrum esset intra fines Germaniæ & coram (ita enim mente præcipiebat Elector) ejusmodi arbitris, qui minus suspectæ fidei esse viderentur. Datum id fuit negotii *Thomæ de Vio Cajetano* Rom. Ecclesiæ Cardinali, Pontificis illo tempore ad Germanos Legato Augustæ degenti. Enimvero hic quoque Judex merito suspectus Luthero esse debuit, ille enim, cujus indulgentiarum nundinationem erat aggressus Tezelius, *Dominicanus* erat, & illi, qui Tezelianas defendendas in se susceperant partes, *Prierias & Hochstraten* eandem *S. Dominici* profitebantur regulam, atque hic Cajetanus, arbiter designatus, ipse quoque *Dominicanus* & totius ordinis quondam caput sive Generalis, ut Dominicanorum nativam quasi indolem, hoc est reliquos ordines hæreseos labe aspergendi libidinem nunc præteream. Ne quid gratis scripsisse videar, consule *Theoph. Raynaudum* Jesuitam Tom. XIX. Opp. peculiari libro Dominicanos describentem, non pigebit hunc evolvisse autorem. Dignus qui audiatur Lutherus ipse de subleste fide eorum judicum, in Appellat. à Papa ad Concilium Tom. I. Opp. Lat. Witteb. p. 131. b. *Cumq; ego nec Wittembergæ tutus ab insidiis, tantum iter perficere non possem nec Romæ tuto consistere, & pauperculus & imbecillis corpore. Deinde Judices præfati mihi multis causis fuissent suspecti, præsertim quod R. P. Sylvester adversarius mihi fuerit, & dialogum contra me jam ediderat, & in sacris literis minus eruditus, quam ista causa ferre possit. Dominus autem Hieronymus in Juribus quoq; plus quàm Theologia doctus, merito timebatur, Sylvestrinæ Theologiæ concessurus, & extra modum suæ professionis hanc rem habere. Sollicitavi per Illustrissimum Principem D. Fridericum Ducem Saxoniæ, Sacr. Rom. Imperii Archi-Marschallum, Landgravium Thuringiæ, Marchionem Mysnæ, ut causa ad partes*

tes

tes committeretur, non suspectis sed honestis & bonis Viris. Tunc illi crassa quadam & insulsa astutia instructi apud sanctissimum Dominum Leonem &c. egerunt, ut causa in seipsos, hoc est, in personam R. Domini Thomæ S. Sixti Cardinalis, tunc in Germania Sedis Apostolicæ Legati transferretur, ut qui de ordine Prædicatorum & Thomisticæ factionis, id est adversariæ vel primarius facile sperareturcontra me pro ipsis definiturus, aut ut verisimile est, certe ut hujus facie judicæ absterritus, recusarem comparere, & contumaciam incurrerem.

Thes. VII.

Nihilominus Lutherus Friderici Electoris, sed longè magis causæ suæ bonitate & Deo protectore fretus, Augustam se contulit, fideque Salvi Conductus à Cæsare data, Cajetano se sistit. Hic vero nullos Pontificiæ Concessionis agnoscere abusus, defendere omnia, primo statim intuitu condemnare Lutherum, & nihil nisi palinodiam crepare Luthero canendam, eorum omnium quæ contra abusum Ecclesiæ Romanæ scripsisset, non dubitabat, quam si detrectaret, vincula carceresque minabatur Cardinalis. Accipe literarum verba, quibus Cajetano autoritatem facultatemque fecerat Pontifex: *Invocato ad hoc tam charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris electi quam reliquorum Germaniæ Principum, Communitatum, Universitatum & Potentatuum tam Ecclesiasticorum quam secularium brachio, cogas atq; compellas, & eo in potestate tua redacto, eum sub fideli custodia retineas, donec à nobis aliud habueris in mandatis, ut coram nobis & sede apostolica sistatur. Ac quod si coram Te sponte ad petendum de hujusmodi temeritate veniam venerit, & ad cor reversus pœnitentiæ signa ostenderit, Tibi eum ad unitatem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ nunquam claudit gremium redeunti, benigne recipiendi concedimus facultatem. Si verò in pertinacia sua perseverans, & brachium seculare contemnens, in potestatem tuam non venerit, Tibi in omnibus Germaniæ partibus eum ac omnes ipsius adhærentes & sequaces, etiam per edicta publica, ad instar illorum, qui olim in Albo prætorio scribebantur, pro hæreticis, excommunicatis, anathematizatis, & maledictis publicandi, & ab omnibus Christi fidelibus tanquam tales evitari faciendi concedimus similiter facultatem.* Lutherus inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam destitutus, seram quamvis videret post condemnationem innocentiæ esse defensionem, ne tamen semetipsum desereret, aut sua damnatus videretur sententia, ad palinodiam se paratissimum esse, si modo alicujus ex sacra scriptura erroris convinci possit, magna cum obsequii significatione ait. Cum autem id nollet, quid? non posset Cardinalis, nihilque apud Lutherum, iniquissima hæc postulando efficeret, ipsumque ulteriori aspectu haut digna-

turum affirmaret, Lutherus interpoſita appellatione à Cardinale ad Pontificem & illo quidem male informato ad melius informandum, Auguſtam relinquit, Wittebergamque petit, atque ex illa, quid Auguſtæ Cajetanus ab ipſo poſtularit, isque à Cajetano enixe rogaverit, Potentiſſimo Friderico Saxoni refert. *Non ego* (ſcribit Lutherus Tom. I. Witteb. f. 225.) *fraudulentus fui, ſed vim juſtiſſimo timore declinavi. Nihil me omiſiſſe video, niſi ſex iſtas literas* REVOCO. *Cæterum damnent, doceant, interpretentur, vel Reverendiſſimus Dominus Legatus, vel ipſe ſummus Pontifex, non autem dicant ſolùm erraſti, maledixiſti, ſed in ſcriptis ſignent errorem, probent maledictum, rationem quam debent reddant, diſſolvant ſcripturas à me inductas: Doceant, ſicùt jactant, verbis ſeſe feciſſe, inſtruant doceri cupientem, petentem, volentem, expectantem, quæ nec Turcus homo mihi negaret. Ubi videro aliter intelligenda, quam intellexi, ſi tunc non revocavero, & me ipſum non damnavero, illuſtriſſime Princeps, Tua Celſitudo ſit prima, quæ perſequatur me, expellat me, obruant me Viri Academiæ noſtræ, denique Cœlum & terram contra me invoco, perdatque me ipſe Dominus meus Jheſus Chriſtus. Loquor & ego ex certa ſcientia, & non ex opinionibus, nolo mihi Dominum Deum ipſum, nolo ullam creaturam Dei mihi fore propitiam, ſi edoctus meliora, ſecutus non fuero. Quod ſi me Fraterculum & mendicum præ nimia Conditionis meæ vilitate contempſerint docere & in viam veritatis deducere, age faciat Tua illuſtriſſima celſitudo & oret Reverendiſſimum Dominum Legatum, ut ſaltem Tuæ Celſitudini ſcribat, in quibus erraverim, & quomodo me errorem emendare oporteat, quibus rationibus, quibus autoritatibus errorem meum confutare poſſint. Quod ſi etiam illuſtriſſimæ Tuæ Dominationi hoc denegaverint, ſcribant id vel Imperatori vel Archi-Epiſcopo alicui in Germania. Quid enim aliud poſſum facere? mira res eſt, quod erraſſe arguor, & obtinere non poſſum (nec per tantum Principem) in quibus & quare ipſi me erraſſe putent. Videat igitur Tua illuſtriſſima Dominatio, diſputationem publicam mihi negat (quam uſque hodie vel Lipſiæ vel Erphordiæ, vel Hallis, vel Magdeburgi, vel ubicunque Tuæ Dominationis valet imperium, ſeu ſalvus conductus, non detrecto, quin etiam oro, & utinam exorem) privatam ſimiliter negat. In ſcriptis etiam oſtendere errorem negat. Quatuor illuſtriſſimarum Academiarum judicia recuſat. Si nunc id addat, ut illuſtriſſimi ac potentiſſimi Principis petitiones rejiciat, quomodo poſſum aliud quam meram vim & inſidias ſuſpicari.* Judicet qui extra partium poſitus eſt ſtudium Chriſtianus quilibet, utrum iniqua hæc quæ Lutherus poſtulaverit? & à Pontifice aut ipſius Legato ipſi Diabolo, ſi in viam redire poſſet, neganda?

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0030
DFG

Th. VIII.

Hæc dum aguntur, cùm satius fuisset & è re Romanæ curiæ, ea ætate supprimere indulgentiarum negotium, vulnera etenim quædam curando majora fieri quotidie, experientia loquitur. Sui tamen haud compos Pontifex, peculiari bulla Id. Nov. Ao. 1618. indulgentiarum confirmat prædicationem. Bullam isthanc refert Lutherus Tom. I. Lat. Witeb. fol. 228.

Th. IX.

Accepto deinde nuncio, nullum appellationi ad Pontificem locum in Curia Romana relinqui, quin prosequi processum & ad condemnantem pergere sententiam judices, Lutherus à Pontifice ad Concilium liberum provocat, atque ea quoque locum non invenit. Frustra ergo sæpius quamvis & tot artibus tentato Friderici animo, Pontifici ut Lutherum traderet, ad ultimum illud nefas Papa animum applicat Lutherumque inauditum è sinu ejicit Ecclesiæ, dirisque anathematibus (brutis licet & irritis) subjicit. Placet excommunicationis bullam ex Cherubini referre Bullario T. 1. p. 314. sqq. nostramque post subjungere epicrisin.

LEO EPISCOPUS. Servus Servorum DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

„EXurge Domine, & judica causam tuam, memor esto imperiorum „tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam „ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, „cujus tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, ejus curam, regi„men & administrationem, Petro tanquam capiti & tuo Vicario, ejusque „successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur „eam aper de sylva, & singularis ferus depascitur eam. Exurge Petre, & „pro Pastorali cura præfata tibi (ut præfertur) divinitus demandata, intende „in causam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarum, ac fidei „magistræ: quam tu, jubente Deo, tuo sanguine consecrasti, contra quam, „sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt magistri mendaces, introducen„tes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes; quorum lingua „ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum „habentes & contentiones in cordibus suis gloriantur, & mendaces sunt ad„versus veritatem. Exurge tu quoque quæsumus Paule, qui eam tua doctri„na, ac pari martyrio illuminasti atque illustrasti. Jam enim surgit novus „Porphyrius, quia sicut ille olim sanctos Apostolos injuste momordit, ita hic „sanctos Pontifices prædecessores nostros contra tuam doctrinam eos non „observando sed increpando, mordere, lacerare, acubi causæ suæ diffidit, ad

con-

„convitia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (ut inquit Hie-
„ronymus) ultimum præsidium est, ut cum conspiciunt causas suas damna-
„tum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere: & cum se victos con-
„spiciunt, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse ad exercitatio-
„nem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, ne-
„ve vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente, & juventute, extingui
„necesse est. Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua universalis Ec-
„clesia, cujus vera sacrarum literarum interpretatione posthabita, quidam,
„quorum mentem pater mendacii excœcavit, & veteri hæreticorum instituto,
„apud semetipsos sapientes, scripturas easdem aliter quam Spiritus sanctus
„flagitet, proprio duntaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste
„Apostolo, interpretantur, immo verò torquent & adulterant: ita ut juxta
„Hieronymum, jam non sit Evangelium Christi sed hominis, aut quod pejus
„est, diaboli. Exurgat, inquam, præfata Ecclesia sancta Dei, & una cum bea-
„tissimis Apostolis præfatis apud Deum omnipotentem intercedat, ut pur-
„gatis ovium suarum erroribus, eliminatisque à fidelium finibus hæresibus
„universis, Ecclesiæ suæ sanctæ pacem & unitatem conservare dignetur.

§. 2. „ Dudum siquidem, quod præ animi angustia, & mœrore ex-
„primere vix possumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad
„ nostrum pervenit auditum, imo verè, proh dolor, oculis nostris vidimus,
„ ac legimus, multos & varios errores, quosdam videlicet jam per Concilia
„ ac prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos, hæresin etiam Græ-
„corum & Bohemicam expresse continentes: alios verò respective vel hæ-
„ reticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensivos; vel sim-
„plicium mentium seductivos, à falsis fidei cultoribus, qui per superbam cu-
„ riositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sa-
„pere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas (ut inquit Hieronymus)
„ sine scripturarum auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur perver-
„sam (a) doctrinam etiam divinis testimoniis, malè tamen interpretatis, ro-
„borare. A quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste sugge-
„rente, noviter suscitatos & nuper apud quosdam leviores inclyta natio-
„ne (b) Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi evenisse, quod
„eandem nationem, & nos, & prædecessores nostri, in visceribus semper ges-
„serimus caritatis. Nam post translatum è Græcis à Romana Ecclesia in eosdem
Germanos imperium, iidem prædecessores nostri, & nos, ejusdem Ecclesiæ
„advocatos, defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos
„constat hæresium acerrimos oppugnatores semper fuisse, cujus rei testes sunt
lau-

(a) *in Tom. 2. Operum Lutheri legitur persuasam.* (b) *Germaniæ.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0032
DFG

„laudabiles illæ constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ec-
„clesiæ, proque expellendis, exterminandisque ex omni Germania hæreticis,
„sub gravissimis pœnis etiam amissionis terrarum & dominiorum, contra re-
„ceptatores, vel non expellentes olim editæ & à nostris prædecessoribus con-
„firmatæ: quæ si hodie servarentur, & nos, & ipsi utique hâc molestiâ care-
„remus. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum, ac Wicleffista-
„rum, nec non Hieronymi Pragensis damnata, ac punita perfidia. Testis est
„toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est
„prædictorum errorum seu multorum ex eis per Colonienſem & Lovanien-
„sem Universitates utpote agri dominici piissimas religiosissimasque (c) tu-
„trices non minus docta quam vera ac sancta confutatio, reprobatio & da-
„mnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere
„videamur, prætermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officii divina
„gratia nobis injuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pesti-
„ferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ Religionis nota, at-
„que orthodoxæ fidei injuria, nullo modo possumus. - - -

„§. 3. Qui quidem errores, respective, quam sint pestiferi, quam per-
„nicioſi, quam scandaloſi, quam piarum & simplicium mentium seductivi,
„quam deniq; sint contra omnem caritatem, ac S.R.E. matris omniũ fidelium
„& magistræ fidei, reverentiam atq; nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedien-
„tiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutũ, sine qua facile unusquisq;
„infidelis esse convincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præ-
„missis, utpote gravissimis, propensius (ut decet) procedere, nec non hu-
„jusmodi pesti morboque canceroso, ne in agro Dominico tanquam vepris
„nociva ulterius serpat, viam præcludere cupientes, habita super prædictis er-
„roribus, & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione ac districto
„examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis, ac sæpius
„ventilatis cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„Cardinalibus, ac regularium ordinum Prioribus seu Ministris generalibus,
„pluribusque aliis sacræ Theologiæ, nec non utriusque juris Professoribus si-
„ve magistris, & quidem peritissimis: reperimus eosdem errores, respective
„(ut præfertur) aut articulos non esse catholicos, nec tanquã tales esse dogma-
„tizandos, sed contra Ecclesiæ catholicæ doctrinam sive traditionem, atq; ab ea
„verã divinarum scripturarum receptã interpretationem, cujus auctoritati ita
„acquiescendũ censuit Augustinus, ut dixerit se Evangelio non fuisse creditu-
„rum, nisi Ecclesiæ catholicæ interveniſſet auctoritas. Nam ex eisdem errori-
„bus, vel eorum aliquo vel aliquib9, palam sequitur, eandem Ecclesiã, quæ Spi-

Cultrices.

„ritu sancto regitur, errare, & semper errasse. Quod est utique contra il-
„lud, quod Christus discipulis suis in ascensione sua (ut in sancto Evangelio
„Matthæi legitur) promisit dicens: Ego vobiscum sum usque ad consum-
„mationem seculi. Nec non contra sanctorum Patrum determinationes,
„Conciliorum quoque & summorum Pontificum expressas ordinationes,
„seu canones, quibus non obtemperasse, omnium hæresium & schismatum,
„teste Cypriano, fomes & causa semper fuit.

„§. 4. De eorundem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio,
„& assensu, ac omnium, & singulorum prædictorum, matura deliberatione
„prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri
„& Pauli, & nostra, præfatos omnes & singulos articulos seu errores, tan-
„quam ut præmittitur respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut
„piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati
„catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus atque omnino rejicimus,
„ac pro damnatis, reprobatis & rejectis ab omnibus utriusque sexus Christi
„fidelibus haberi debere, harum serie decernimus, & declaramus. Inhibentes
„in virtute S. obedientiæ, ac sub majoris excommunicationis latæ senten-
„tiæ, nec non quoad Ecclesiasticas, & regulares personas, Episcopalium
„omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedra-
„lium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque, & Prioratuum, etiam conven-
„tualium, & quarumcunque dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum,
„secularium, aut quorumvis Ordinum regularium, privationis & inhabili-
„tatis ad illa & alia imposterum obtinenda: quo verò ad Conventus, Capi-
„tula, seu domos, aut pia loca secularium, vel regularium, etiam mendi-
„cantium, nec non Universitatis etiam studiorum generalium, quorumcun-
„que privilegiorum indultorum, à sede Apostolica, vel ejus legatis, aut a-
„lias quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cujuscunque tenoris
„existant: Nec non nominis & potestatis studium generale tenendi, le-
„gendi, ac interpretandi quasvis scientias, & facultates, & inhabilitatis ad
„illa & alia imposterum obtinenda: Prædicationis quoque officii, ac amissio-
„nis studii generalis, & omnium privilegiorum ejusdem: quo verò ad se-
„culares ejusdem excommunicationis nec non amissionis cujuscunque em-
„phyteusis, seu quorumcunque feudorum, tam à Romana Ecclesia, quam
„alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia impo-
„sterum obtinenda: Nec non quoad omnes & singulos superius nomina-
„tos inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singu-
„los actus legitimos, infamiæ ac diffidationis; & criminis læsæ majestatis, &
„hæreticorum & fautorum eorundem in jure expressis pœnis, eo ipso, & abs-

que

„que ulteriori declaratione per omnes & singulos supradictos, si (quod absit)
„contra fecerint, incurrendis, à quibus vigore cujuscunque facultatis, & clau-
„sularũ eis (d) in confessionalib9 quibusvis personis, sub quibusvis verborum
„formis contentarum, nisi à Rom. Pont. vel alio ab eo ad id in specie faculta-
„tem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant,
„Omnibus, & singulis, utriusque sexus Christi fidelibus, tam Laicis, quàm Cle-
„ricis, secularibus & quorumvis ordinum regularibus, & aliis quibuscunque
„personis, cujuscunque status, gradus, vel conditionis existant, & quacun-
„que Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam sanctæ Romanæ
„Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Pa-
„triarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiata-
„rum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisque personis Eccle-
„siasticis, secularibus, & quorumvis ordinum etiam Mendicantium regulari-
„bus, Abbatibus, Prioribus vel Ministris generalibus, vel particularibus
„fratribus seu Religiosis exemtis & non exemtis, Studiorum quoque Univer-
„sitatibus secularibus & quorumvis ordinum etiam Mendicantium regulari-
„bus, nec non Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Mar-
„chionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis
„omnibusque Officialibus, Judicibus, Notariis Ecclesiasticis, & secularibus,
„Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Castris, Terris
„& locis, seu eorum, vel earum civibus, habitatoribus & incolis, ac quibus-
„vis aliis personis Ecclesiasticis, vel regularibus (ut præfertur) per univer-
„sum orbem, ubicunque præsertim in Alemannia existentibus, vel pro tem-
„pore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos perversamque doctri-
„nam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomo-
„dolibet, publice vel occulte, quovis quæsito ingenio vel colore, tacite, vel
„expresse favere præsumant.

„§ 5. Insuper, quia errores præfati & plures alii continentur in li-
„bellis seu scriptis (e) Martini Lutheri, dictos libellos, & omnia dicti Mar-
„tini (f) scripta seu prædicationes, in latino, vel quocunque alio idiomate re-
„periantur, in quibus dicti errores seu eorum aliquis continentur, similiter
„damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, & pro omnino damna-
„tis, reprobatis ac rejectis, (ut præfertur) haberi volumus, mandantes in
„virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omni-
„bus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne
„hujusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis con-
„tenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, as-

 serere,

(d) *etiam* (e) *in editione inter Opera Lutheri additur* cujusdam (f) *ibid. pro Martini nomine semper occurrit nomen* Lutheri.

„ferere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, sive defendere, per se vel „alium, seu alios, directe, vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis, vel privatis locis tenere quoquo „modo præsumant: quin imo illa statim post harum publicationem ubicunq; „fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publice, & so„lenniter in præsentia Cleri, & populi, sub omnibus & singulis supradictis pœ„nis comburant.

§. 6. *Quod vero ad ipsum Martinum attinet (bone Deus) quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, ut cum ab hujusmodi erroribus revocaremus? Postquam enim ipsum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus, atque tam per diversos tractatus cum Legato nostro habitos, quam per literas nostras, hortati fuimus, ut à prædictis erroribus discedere, aut oblato etiam salvo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac salvatoris nostri Apostolique Pauli exemplo, non occulto, sed palam & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo (ut arbitramur) ad cor reversus, errores suos cognovisset: nec in Romana curia, quam tantopere vanis malevolorum rumoribus plus quam oportuit tribuendo vituperat, tot reperiisset errata, docuissemusque eum luce clarius, sanctos Romanos Pontifices prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam injuriose lacerat, in suis canonibus seu constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse. Quia juxta Prophetam, nec in Galaad resina, nec medicus deest.*

§. 7. *Sed obaudivit semper, & prædicta citatione, omnibus & singulis supradictis spretis venire contempsit ac usque in præsentem diem contumax, atque animo indurato censuras ultra annum sustinuit: & quod deterius est, addens mala malis, de citatione hujusmodi notitiam habens in vocem temeritæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra constitutionem Pii Secundi, ac Julii Secundi prædecessorum nostrorum qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos (frustra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi se non credere palam profitetur) ita ut contra ipsum, tanquam de fide notorie suspectum, immo verè hæreticum, absque ulteriori (g) citatione vel mora ad condemnationem, & damnationē ejus tanquam hæretici, ac ad omnium & singularum supra scriptarum pœnarum & censurarum severitatem procedere possemus.*

§. 8. *Nihilominus de eorundem fratrum nostrorum consilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat: omnium injuriarum hactenus nobis & Apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis*

(g) *ulla*

bis est, agere, ut proposita mansuetudinis via, ad cor revertatur, & à prædictis recedat erroribus, ut ipsum tanquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ revertentem, benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum, & quoscunque ei adhærentes, ejusque receptatores & fautores, per viscera Misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem, & veritatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, turbare desistant, & à prædictis tam pernicios erroribus prorsus abstineant; inventuri apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta nos certificaverint, paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem.

§. 9. *Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc, ut interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat.*

§. 10. *Alioquin in* (h) *ipsum Martinum, si forte justitiæ & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coërceat disciplinæ, eundem Martinum, ejusque adhærentes, complices, fautores & receptatores, tenore præsentium requirimus & monemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infra scriptis, immediate sequentes numerandos ipse Martinus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti, à præfatis erroribus eorumque prædicatione, ac publicatione & assertione, defensione quoque, & librorum seu scripturarum editione super eisdem sive eorum aliquo omnino desistant, libros-que ac scripturas, omnes & singulos præfatos errores seu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant. Ipse etiam Martinus errores & assertiones hujusmodi omnino revocet, ac de revocatione hujusmodi per publica documenta in forma juris valida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet (si ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo salvo conductu, quem ex nunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere.*

„§. 11. Aliàs si (quod absit) Martinus præfatus, complices, fautores, „adhærentes, & receptatores prædicti, secus egerint, seu præmissa omnia, & „singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint Apostoli

 imitan-

(h) *Ut*

„imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, post primam & secundam „correptionem, vitandum docuit, ex nunc, prout ex tunc, & è converso, eun„dem Martinum, complices, adhærentes, fautores & receptatores præfatos, „& eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Christo non manentes, „sed doctrinam contrariam catholicæ fidei inimicam, sive scandalosam seu „damnatam, in non modicam offensam divinæ majestatis, ac universalis Ec„clesiæ & fidei catholicæ detrimentum & scandalum dogmatizantes (i) claves „quoque Ecclesiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos, eadem au„ctoritate, fuisse & esse declarantes, eosdem ut tales harum serie condemna„mus & eos pro talibus haberi ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus „supradictis, volumus & mandamus. Eosque omnes & singulos omnibus „supradictis, & aliis contra tales à jure inflictis pœnis præsentium tenore sub„jicimus, eisdem irretitos fuisse, & esse decernimus & declaramus.

„§. 12. Inhibemus præterea sub omnibus & singulis præmissis pœnis, „eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christi fidelibus superius nomina„tis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino „quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, seu eo„rum aliqua tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehe„menter suspecta, & ut ejus memoria omnino deleatur de Christi fidelium „consortio legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, sive de„fendere, per se vel alium, seu alios directè vel indirectè, tacite vel expresse, „publice vel occulte, seu in domibus suis, sive aliis locis, publicis vel priva„tis, tenere quoquo modo præsumant: quin imo illa comburant, ut præ„fertur.

„§. 13. Monemus insuper omnes & singulos Christi fideles supra„dictos, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut hæreticos „prædictos declaratos & condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, „post lapsum termini supradicti evitent, & quantum in eis est, evitari faciant, „nec cum eisdem vel eorum aliquo, commercium, aut aliquam conversatio„nem, seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent.

„§. 14. Ad majorem præterea dicti Martini suorumque complicum, „fautorum & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum „termini prædicti declaratorum hæreticorum & condemnatorum confusio„nem, Universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, Patriarchis, Ar„chiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, metropolitanarum & aliarum ca„thedralium, collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, „aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus & quorumvis ordinum etiam Mendi-

(i) *in Tomis Lutheri additur* & prædicantes.

„Mendicantium (præsertim ejus congregationis cujus dictus Martinus est „professus,& in qua degere vel morari dicitur) regularibus exemtis, & non „exemtis, nec non universis & singulis principibus, quacunque Ecclesiastica „vel mundana fungentibus dignitate Regibus, Imperatoribus, Electoribus, „Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductori„bus, Domicellis, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitati„bus, terris, castris & locis, seu eorum habitatoribus, civibus & incolis, o„mnibusque aliis & singulis supradictis, per universum orbem, præsertim in „eadem Alemania constitutis mandamus, quatenus sub prædictis omnibus & „singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet præfatum Martinum, complices, ad„hærentes, receptantes, (k) & fautores personaliter capiant, & captos ad no„stram instantiam retineant, & ad nos mittant, reportaturi pro tam bono ope„re à nobis & sede Apostolica remunerationem, præmiumque condignum, „vel saltem eos, & eorum quemlibet, de metropolitanis, cathedralibus colle„giatis & aliis Ecclesiis, domibus, monasteriis, conventibus, civitatibus, do„miniis, Universitatibus, communitatibus, castris, terris, ac locis respective „tam clerici & regulares, quam Laici, omnes & singuli supra dicti omnino „expellant.

„§. 15. Civitates vero, dominia, terras, castra, villas, comitatus, for„talitia, oppida, & loca quæcunque ubilibet consistentia, eorum & earum re„spective metropolitanas, cathedrales, collegiatas, & alias Ecclesias, monaste„ria, prioratus, domus, conventus, & (l) loca, religiosa vel pia, cujuscunque „ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis, „declinare contigerit, quamdiu ibi permanserint, & triduo post recessum, Ec„clesiastico subjicimus interdicto.

„§. 16. Et ut præmissa omnibus innotescat, mandamus insuper uni„versis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolita„narum, & aliarum cathedralium, ac collegiatarum Ecclesiarum prælatis, ca„pitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis ordinum „supradictorum regularibus, fratribus religiosis, monachis, exemptis & non „exemptis supradictis, ubi libet præsertim in Alemania constitutis, quatenus „ipsi vel eorum quilibet sub similibus censuris & pœnis, eo ipso incurrendis, „Martinum, omnes & singulos supradictos, qui elapso termino hujusmodi „mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis, „& aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad divina conve„nerit, declaratos hæreticos, & condemnatos publice nuncient, faciantque „& mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari.

§. 17.

(k) receptatores. (l) alia loca.

„§. 17. Nec non omnibus Christi fidelibus, ut eos evitent, pari modo sub prædictis censuris & pœnis. Et præsentes literas vel earum transsumptum sub forma infra scripta factum, in eorum Ecclesiis, monasteriis, domibus, conventibus, & aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos, cujuscunque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui, quo minus præsentes literæ, vel earum transsumpta, copiæ seu exemplaria, in suis terris & dominiis, legi, affigi, & publicari possint, fecerint, vel quoquo modo procuraverint, per se vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

„§. 18. Postremo quia difficile foret præsentes literas ad singula quæq; loca deferri, in quibus necessarium foret, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod earum transsumtis manu publici notarii confectis & subscriptis vel in Alma urbe impressis & sigillo alicujus Ecclesiastici Prælati munitis, ubique stetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus literis staretur & adhiberetur, si fuerint exhibitæ vel ostensæ.

„§. 19. Et ne præfatus Martinus, omnesque alii supradicti, quos præsentes literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere valeant, literas (m) in Basilicæ principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non cathedralium Ecclesiarum Brandeburgen. Misnen. & Mersburgen. valvis & affigi & publicari (n) volumus. Decernentes, quod earundem literarum publicatio sic facta, supra dictum Martinum, omnesque alios & singulos prænominatos, quos literæ hujusmodi quomodolibet concernunt, proinde arctent, ac si literæ ipsæ die affixionis & publicationis hujusmodi, eis personaliter lectæ, & intimatæ forent, cum non sit verisimile, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

„§. 20. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis seu supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis à Sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quavis forma, etiam confessionali, & cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa, seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possunt per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto hujusmodi mentionem, ejusdem indulti tenores causas, & formas perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollatur, præsentibus pro expressis habentes.

§. 21.

(m) literas ipsas (n) publicari debere

„§. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ da-
„mnationis, reprobationis, rejectionis, inhibitionis, voluntatis, mandati,
„hortationis, obſervationis, requiſitionis, monitionis, aſſignationis, conces-
„ſionis, condemnationis, ſubjectionis, excommunicationis & anathematiza-
tionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc atten-
„tare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri &
„Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

„Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ,
„milleſimo quingenteſimo vigeſimo XVII. Kalend. Julii, Pontificatûs noſtri
„anno octavo.

* * * * * * *

Pauca hic in Bullæ confuſionem, poſt animadverſiones *Ulrici Hutteni* generoſiſſimi equitis & *ipſius Divi Lutheri* (quas habes Tom I. Opp. Lat. Witeb. f. 54. ſeq. & f. 83. ſeq. pag. autem 99. ſeq Lutheri aſſertionem articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum) ſubjiciam.

N. 1. Quæramus *utrum Simoniacus ſit excommunicatus? Utrum Pontifex fieri poſſit Simoniacus? Utrum Leo X. fuerit Simoniacus? Utrum excommunicatus alium excommmunicare poſſit?* Simonia Canoniſtis nihil aliud eſt, *quam ſtudioſa voluntas, ſive cupiditas emendi vel vendendi Spiritualia, vel Spiritualibus annexa.* ita *Lancelottus* JCtus Peruſinus ex gloſſ. 1. in Sum. 1. q. 1. Inſtitut. Juris Canon. Lib. IV. Tit. III. Talia perpetrantes excommunicationis incurrere pœnam ex Canonibus Apoſtolorum (quos pro authenticis habent Pontificii, vide quæ illorum cauſa ſcripſit *Turrianus* Jeſuita peculiari libro) canone ex recenſione & interpretatione Gentiani Herveti 28. Dionyſii Exigui. 30. *Si quis Epiſcopus aut presbyter aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem: dejiciatur & ipſe & ordinator ejus & à communione arceatur, ſicut Simon Magus à Petro.* Conſentiunt Moraliſtæ.

N. 2. Utrum ex Pontificiorum mente Pontifex, quem ab omni labe, errore, vitioque exemtum eſſe volunt, fieri poſſit Simoniacus? Affirmativam tuentur ipſius Pontificis Clientes. Ita *Eligius Baſſæus* Ordinis Ff. Minorum S. Franciſci Cappucinorum, in decantatiſſimo Theologiæ Practicæ Florum opere. Tom. II. fol. 792. *Ex dictis ſequitur, quod in omni materia, in qua committitur Simonia contra jus divinum, etiam Pontifex peccabit eodem genere peccati, ſi illam pro temporali vendat. Ratio eſt, quia Pontifex ſubditus eſt juri divino, & illa actio extrinſecè mala eſt. Hinc Simoniacus eſt, ſi Sacramenta vel ordines conferat pro pretio temporali, aut ſi reliquias vel agnos Dei benedictos vendat, ſed plus exigat, habita ratione benedictionis, quam alioquin valent ratione materiæ: quia licet illa ſpiritualitas ſit expoſitiva inſtitutione,*

tamen hac supposita, simonia, qua in illa committitur, contra Jus divinum est. Item si doctrinam fidei vel illius definitionem vendat, vel Pontificiam dignitatem pro Regno temporali tanquam pro pretio renunciaret: Idem denique est in omni simili materia, quæ de se & natura sua, seu divina institutione spiritualis est.

N. 3. *Utrum Leo fuerit Simoniacus?* Subscribe definitioni supra à Canonistis datæ sequentia de Leone X. testimonia, duorum testium & Pontificiæ Curiæ addictissimorum & Leonis X. coætaneorum. Atque istud quidem est *Guicciardini* (quo de infra pluribus Cap. III. th. 3.) Hist. Italicæ Lib. XIII. f. m. 489. *Ut autem hæc in Germania denuo excitarentur, occasionem dederat pontificatus autoritas, qua Leo nimis licenter utebatur, qui in iis quas Indulgentias vocant, quæ à Pontificibus in sacerdotiis & aliis sacris rebus concedi solent, Laurentii Puccii Quatuor Sanctorum Cardinalis Consilium secutus, nullo temporum & locorum habito delectu, per universum orbem amplissima privilegia, quibus non modo vivis delictorum veniam consequendi, sed & defunctorum animas ejus ignis, in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgarat: NB. NB. quæ quia pecuniæ tantum à mortalibus extorquendæ gratia concedi notum erat, & à quæstoribus huic negotio præfectis impudenter administrabantur, magnam plerisque in locis indignationem, offensionemque concitarant, & præsertim in Germania, ubi à multis ex ejus ministris hujusmodi mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ subjici cernebantur.*

Hoc *Pauli Langii* est, supra quoque adductum, ita vero de Leone Chron. Cizizens. f. 896. *Amore equidem auri & nunc Romæ cuncta venalia sunt: Auro mediante Simonia toleratur, præbendarum pluralitas in infinitum conceditur: beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis & cardinalibus & protonotariis atque amicis Papæ reservantur: expectativæ gratiæ sine numero conceduntur: annatæ sive medii fructus absque ulla dilatione temporis exiguntur. Quin imo ipsæ annatæ, in quas tempore Calixti Papæ tertii, ad quatuor Principes consenserunt annos, non modo adhuc durant, sed & indies magis crescunt, duriusque premunt & opprimunt.* Et paulo post: *Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed magis offerenti committuntur, electiones prælatorum passim rejiciuntur & Romanis tribuuntur, pro palliorum archiepiscopalium redemtione ingens pecunia in damnum Ecclesiarum, contra sanctionem Leonis Papæ ejus nominis secundi, imo contra sacri Basiliensis concilii decretum, pro usu pallii, aliorumve officiorum confirmatione & impetratione, nihil persolvendum statuentis, exigitur & extorquetur. Quam quidem exactionem præter Simoniam complura alia sequuntur incommoda.* Claudat,

dat, ut in trium testium ore omnis constet veritas, *Henrici Spondani* Appamiarum Episcopi Continuat. Annal. Baron. ad Annum 1517. n. 5. ingenua confessio, *quod vero his de causis Pontifex cæteros ferè omnes Cardinales animo vehementer à se alienatos animadverteret, de novis creandis, quibus magis fidere posset, consilium iniit. Eaque in re adeo excessit, ut quod nunquam contigerat, unico die quinto Calendas Julii, antiquis Cardinalibus metu magis quam voluntate consentientibus, unum & triginta ex variis nationibus, partim pretio, quod pecuniis exhaustus esset, partim sanguinis & privati affectus intuitu, partim etiam nobilitatis, aut virtutis & literarum merito, pronunciaverit.* Invictè hinc colliges: *Ergo Leo X. fuit Simoniacus.*

N. 4. *Excommunicatus alium utrum excommunicare possit?* definire haud arduum est. Quod si enim excommunicatus exclusus est à Communione fidelium, dejectus ab omni officii gradu, omni exercitio officii spoliatus, nihilque ipsi amplius cum Ecclesia, donec illi reconcilietur, commercii: quæ huic esset reliqua ejiciendi ab Ecclesia alios libertas aut facultas? applica quæ de effectibus excommunicationis Doctores Papæi tradunt:

Primus effectus est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum.

Secundus: Privare Sacramentorum participatione passiva.

Tertius: Privare Sacramentorum participatione activa.

Quartus: Privatio divinorum officiorum & sacrarum rerum.

Quintus: Inhabilitas ad beneficia, eorumque fructus.

Sextus: Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Septimus: Civilis communicationis privatio, videlicet in contractibus, testamentis & quotidiano convictu.

Octavus: Privatio communicationis in actionibus Juris Civilis. Et res in vado erit.

Et ne quis mihi *excommunicationem hominis* sive judicis objiciat, ego ipsi, de Canonistarum copiis, *Excommunicatione Canonis aut Juris* satisfacio, quæ fortius stringit, durat enim quamdiu jus durat, vide *Eligium* Tom. I. Flor. f. 339. *Multiplex a Doctoribus ponitur differentia inter excommunicationem ab homine, & illam quæ est à jure, nam juris excommunicatio semper est generalis & determinate fertur contra facientes, vel non facientes hoc vel illud; illa autem, quæ est ab homine, aliquando est generalis, aliquando particularis, contra determinatam personam, deinde excommunicatio lata ab homine, cessat cessante vita judicis, vel quando ab officio removetur, ita ut de novo contravenientes non liget: at excommunicatio juris durat etiam mortuo conditore, quamdiu jus ipsum durat, præterea quando fertur excommunicatio à canone vel statuto pro futuris culpis, ligat contrafacien-*

tes intra territorium legislatoris, quamvis tempore legis latæ seu delicti non essent subditi respectu originis vel domicilii: at sententia hominis comprehendit illos tantum, qui tempore sententiæ sub judicis eam pronunciantis jurisdictione continebantur, & illi subditi erant, quia sententia sumit vires inscontinenti in eum contra quem fertur, lex autem cum semper loquatur, obligat etiam eos qui futuris temporibus futuri sunt subditi. Navarrus, Toletus, Sylvester & alii communiter.

N. 5. Quo autem loco Leonis Bullam habuerint ipsi Pontificis Leonis Successores, hic quoque monendum judico. Placet istud doctissimi Sorboniſtæ *Jo. Launoji* verbis exponere Epist. V. ad Joannem Raimundum Formentinum f. m. 319. *Hadrianus cum ad Fredericum Saxoniæ ducem scripsit, ut eum à defendendo Luthero deterreret. Nam in epistola, quæ satis prolixa est, & ubi Lutherum acerbe persequitur, eidem tamen editam à Leone X. constitutionem non objicit. Cur ita quæso, nisi quia Hadrianus persvasus erat constitutionem editam non esse auctoritate, quæ falli nequiret? Observatio hæc eo videbitur ponderosior, & ad rei decisionem utilior, quo magis ac magis considerabitur. Hadriani decessor proximus Leo Lutheri errores gravissime condemnat. Lutherus ad Saxoniæ Ducem confugit, illiusque præsidium implorat. Hadrianus ducem compellat literis, ut Luthero homini factioso & rerum novarum cupido auxilium omne deneget, & interea Lutheri errores à Leone condemnatos in præteritis relinquit. Nonne affectatum est in Hadriano silentium?*

In Concilio etiam Tridentino nullus Pontificum aut Patrum hanc Bullam regulæ instar habuit, ad quam Lutheri damnaret doctrinam aut ad illam provocares.

N. 6. Neque supervacaneum erit referre, quod quamplures in Germania Ecclesiæ libertate suaviſæ (quam egregrie Celeberrimus SCHILTERUS peculiari Commentario asseruit) publicationem impedierint. De Electorali Saxonia res dubio caret. Alias in compendio refert Divus Lutherus epist. ad Spalatinum To. 1. Epist. 197. p. 289. *Erfurdiensis Academia requisita ab Eccio imperiosissime, non admisit Bullam, causans illegitime insinuatam. Babenbergensis Episcopus eandem simili casu recusavit. Adolescentes Erfurdiæ armati Escium obsederunt: & bullas excusas frustillatim in aquam jecerunt &c. nunc verè est bulla: Senatus ad hæc dissimulat: Moguntina Curia nihil audet: Qua autem gloria Lipsiæ sit exceptus Eccius, credo te nosse, invisus penè omnibus, præter Principem & Episcopum.*

N. 7. Istam vero Leonis jactantiam, Romanum Imperium à prædecessoribus suis à Græcis translatum in Germanos fuisse, rident Politici, qui quid

quid jus Gladii potestatis conferat, intelligunt. Confer *Marsilium de Menandrino* alias *Patavinum* Defens. Pacis tract. 1. c. 9. *Goldasti* Polit. Imperial. Part. IX. tota à fol. 488 ad 538. Illustris *Kulpisii* Comm. in Monzambano Cap. I. §. X. XI.

N. 8. Ultimo & historicos & grammaticos hac in Bulla errores adverterunt Eruditiores. Historicum ipse *Launojus* Epistola XV. ad Jacobum Bevilaquam f. 824. *Quanti verò Cyprianus ineunte seculo posteriori fuerit, nos docet Leo X. in Constitutione, qua Lutheri propositiones proscripsit. Sanctorum inquit Patrum declarationibus, Conciliorum quoque & summorum Pontificum ordinationibus, seu canonibus non obtemperare, omnium hæresium & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit. Hæc uti jacent, apud Cyprianum non extant: Sed fecit Viri tanti celebritas, ut ei potius quam ulli decessorum, puta Stephano Papæ & Martyri illa tribueret, quæ Cyprianus nunquam dixit.* Grammaticum autem ex Petro Suavi retulit Clarissimus Vir amicus valde noster *Balius* in Excerptis Reip. Literar. A. LXXXV. p. 489. *Non opus est hoc loco referre rem notissimam, quod Leo X. Pontifex nihil magis metuit, quam ne Brevia suo nomine promulgata similibus horrerent barbarismis, quales in antecessorum diplomatibus licebat animadvertere. Itaque ab Epistolis & secretis sibi inter primos esse jussit Bembum ac Sadoletum, quibus nemo illa ætate scripsit latine tersius & elegantius. Neque ipse Leo, quoties ipsi visum est, componendæ Epistolæ imperitus fuit, ut constat ex literis, quas scripsit ad Cardinalem Mediceum, cum eum Legatum mitteret Mediolanum, non minus ex pulcherrimis Epistolis, quas ad Sororem suam natu grandiorem exaravit. Quantumcunq; verò operæ studiiq; puræ & eleganti dictioni impenderet, nequaquam tamen effugit risum Grammaticorum, qui mirati sunt in Bulla qua Lutherum communione prohibuit, occurrere periodum verborum quadringentorum: Est verò in ordine* §. 4.

Thes. X.

Neque intra hos terminos stabat insania Leonis X, ut unda undam, sic furor trudebat furorem, novo enim decreto de Anno 1521. prius confirmavit. Copiam illius *Laërtii Cherubini* suppeditavit Bullarium Tom. I. p. 618. ex quo in Lectoris gratiam describi curavimus.

LEO EPISCOPUS Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, ex tradita sibi divinitus potestate, pœnarum spiritualium pro meritorum diversitate dispensatorem constitutum, ad reprimendum nefarios conatus perversorum, quos noxiæ voluntatis adeo

depravata captivat intentio, ut Dei timore postposito, canonicis sanctionibus, mandatisque Apostolicis neglectis, atque contemptis, nova & falsa dogmata excogitare, ac in Ecclesia Dei nefarium Schisma inducere, aut Schismaticis ipsis inconsutilem Redemtoris nostri tunicam orthodoxæque fidei unitatem scindere satagentibus; favorem præbere, assistere, adhærereque non verentur; ne Petri navicula sine Gubernatore & remige navigare videatur, contra tales, eorumque sequaces acrius insurgere, & exaggeratione pœnarum, & alios opportuno remedio ita providere, ne iidem contemptores in reprobum sensum dati, illisque adhærentes, falsis commentis, ac subdolis eorum malitiis simplicem turbam decipiant, ac in eundem errorem & ruinam secum trahant, ac veluti morbo contagioso contaminent, & ad majorem ipsorum damnatorum confusionem, omnibus Christi fidelibus publice ostendere, ac palam declarare, quam formidabilium censurarum & pœnarum illi rei existant, ad hoc, ut ipsi sic declarati & publicati, confusi tandem & compuncti, ad cor suum redire, & ab eorundem excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conversatione, & participatione, ac etiam obedientia, se penitus subtrahant, ut divinam ultionem evadant, illorumque damnationis participes minime fiant.

§. 1. *Sane alias, cum quidam falsi fidei cultores, mundi gloriam quærentes, &c.*

Omittitur residuum hujus narrativæ, quoniam tota bulla est quæ immediate præcedit.

§. 2. *Cum autem, sicut accepimus, licet post literarum affixionem & publicationem post elapsum termini, seu terminorum hujusmodi in literis per nos præfixi hujusmodi, seu præfixorum (quos quidem terminos elapsos fuisse & esse omnibus Christi fidelibus & per præsentes significamus, & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui ejusdem Martini errores secuti fuerunt, ipsarum literarum ac monitionum & mandatorum nostrorum notitiam habentes, spiritu sanioris consilii ad cor reversi, errores suos confitentes, & hæresin in manibus nostris abjurantes & ad veram fidem catholicam se convertentes, absolutionis beneficium juxta facultatem eisdem nunciis desuper concessam obtinuerint, & in nonnullis civitatibus, & locis dictæ Alemaniæ, libri & Scripturæ dicti Martini juxta mandata nostra publice cremati fuerint, tamen ipse Martinus (quod non sine gravi animi molestia, & mentis nostræ perturbatione referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos infra præmissum terminum revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempsit; verum tanquam petra scandali pejora prioribus contra nos & hanc sanctam sedem, & fidem Catholicam scribere & prædicare, & alios ad hoc inducere non est veritus, propter quod sicut ipse jam hæreticus est declaratus, ita*

&

& alii etiam non parvæ auctoritatis & dignitatis, propriæ suæ salutis immemores, ipsius Martini pestiferam hæreticorum sectam publice & notorie sequentes, eique palam & publice auxilium, consilium, & favorem subministrantes, ipsumque Martinum in suis inobedientia & contumacia confoventes, & alii publicationem dictarum literarum impedientes, pœnas in dictis nostris literis contentis damnabiliter incurrerunt, & hæretici merito sunt habendi atque ab omnibus Christi fidelibus evitandi, dicente Apostolo, hæreticum hominem, post unam, & secundam correctionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

§. 3. Ut igitur cum Martino & aliis hæreticis excommunicatis, & anathematizatis, & maledictis merito copulentur, & sicut in delinquendo dicti Martini pertinaciam sequuntur, ita pœnarum & nominis participes fiant, seumque Lutherani vocem, & debitas portent pœnas, cum præmissa adeo manifesta, & notoria sunt effecta, & permanentes, ita ut nulla probatione aut monitione vel citatione indigeant, prout sic fore decernimus & declaramus. Martinum & alios, qui eundem Martinum in suo pravo & damnato proposito obstinatum sequuntur, ac etiam eos, qui eum etiam præsidio militari defendunt, custodiunt, & propriis facultatibus, vel alias quomodolibet sustentare non verentur, ac auxilium, consilium, vel favorem, quovis modo præstare & subministrare præsumserunt, & præsumunt, quorum omnium nomina, & cognomina, & qualitates, etsi quavis celsa vel grandi præfulgeant dignitate, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore præsentium facienda nominatim exprimi possent decernimus; excommunicationis, & etiam anathematis, nec non maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos & eorum descendentes dignitatum, honorum, & bonorum, privationis, & inhabilitationis ad illa, nec non bonorum confiscationis, & criminis læsæ Majestatis & alias sententias, censuras & pœnas, etiam in hæreticos a canonibus inflictas in dictis literis contentas damnabiliter incidisse.

§. 4. Civitates quoque, terras, castra, oppida, & loca in quibus tunc pro tempore fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis sunt, ac alias etiam cathedrales & metropolitan. monasteria, & alia religiosa, & pia loca, etiam exempta, & non exempta, quocunque Ecclesiastico interdicto supposita esse, ita ut illo durante, illis prætexta cujusvis indulti Apostolici, præterquam in casibus à jure præmissis, & in illis, non alias quam januis clausis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, nequeant missæ, & alia divina officia celebrari, Apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus; illosque pro excommunicatis, & anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis, & inhabi-

habilibus, ubicunque locorum denunciari, & publicari ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari præcipimus & mandamus.

§. 5. Et ut in omnibus tantum in Dei Ecclesiæ suæ vilipendium Martini, & sequacium, & aliorum inobedientium obstinatæ temeritatis audacia innotescat, ne morbida pecus gregem inficiat, parsque sincera ad infectionem trahatur, universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, patriarchalium, metropolitan. cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum prælatis, capitulis, & personis Ecclesiasticis, & quorumvis ordinum etiam mendicantium religiosis exemtis & non exemtis ubilibet constitutis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis mandamus, quatenus ipsi & quilibet eorum, si & postquam vigore præsentium requisiti fuerint, infra tres dies, quorum unum pro primo, & alium pro secundo & reliquum pro tertio & peremtorio termino ac canonica monitione præmissa assignamus eosdem Martinum, & alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos & hæreticos declaratos, aggravatos, interdictos, privatos & inhabiles, & in præsentium executione nominatos in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festivis diebus (dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina) cum crucis vexillo pulsatis campanis, & accensis candelis, ac demum extinctis, & in terram projectis, & conculcatis, cum trina lapidum projectione, aliisque ceremoniis in similibus observari solitis, publice nuncient, & faciant, & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari. Ad majorem insuper præfati Martini, aliorumque hæreticorum supradictorum adhærentium & sequacium & fautorum confutationem, in virtute sanctæ obedientiæ, mandamus omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, ut sicut ipsi ad sedandum schismata, auctore Hieronymo, constituti fuerunt, ita nunc, urgente necessitate, prout eorum incumbit officio, constituant se murum pro populo Christiano, non tacendo tanquam canes muti non valentes latrare, sed incessanter clamando, & exaltando vocem & prædicando, & prædicari faciendo verbum Dei, ac veritatem fidei Catholicæ, contra damnatos articulos, & hæreticos supradictos.

§. 6. Nec non omnibus & singulis parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac religiosis quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium; exemptis & non exemptis, ut præmittitur, similiter in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut sicut ipsi nubes à Domino constituti sunt, ita spiritualem imbrem in populo Dei seminare & contra supradictos articulos, ut præfertur, damnatos, sicut etiam eorum incumbit officio, publicè publicare non vereantur, scriptum est enim quod perfecta caritas foras mittit timorem. Vos igitur & vestrum singuli onus tam meritorii negotii devota mente suscipientes, vos in illius executione

sic

sic solicitos, ac verbo & opere studiosos, atque diligentes exhibeatis, quod ex vestris laboribus, divina nobis favente gratia, speratus fructus adveniant, ac per solicitudinem nostram, quæ causas pias gerentibus pro retributione debetur, palmam gloriæ non solum consequi mereamini, verum etiam apud nos & Sedem prædictam non immerito valeatis, de exacta diligentia vestra uberius.

§. 7. *Verum quia difficile foret præsentes declarationis & publicationis literas ad præsentiam & personam propriam Martini & aliorum declaratorum, & excommunicatorum hujusmodi personaliter deducere, propter eis faventium potentiam, volumus, ut affixio, & publicatio præsentium literarum in valvis duarum cathedralium seu metropolitan. aut unius cathedralis & alterius metropolitanæ in dicta Alemania consistentium Ecclesiarum, per unum ex nunciis nostris ibidem existentibus facta, ita eos liget & arctet, Martinumque & alios declaratos, damnatos hujusmodi, demonstret in omnibus, & per omnia ac si eis, & eorum cuilibet personaliter, intimatæ & præsentatæ fuissent.*

§. 8. *Et quia etiam difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & præfatæ auctoritate decernimus, quòd earum transsumptis, sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici, seu ex Nunciis nostris prædictis munitis, & manu alicujus publici Notarii subscriptis ubique stetur, prout præsentibus originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ.*

§. 9. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in prioribus literis nostris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§. 10. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, præcepti, mandati, assignationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, tertio nonas Januar. Pont. nostri octavo.

CAPUT III.

Lemmata.

Th. I. Iniqua adversus Lutherum agendi ratio. Th. II. Multorum ob Leonis imprudentiam gemitus. Etiam infensissimorum Lutheri hostium. Th. III. ITALOS refert. Franc. Gvicciardinum.

Th. IV. Odoricum Raynaldum. Th. V. Sfortiam Pallavicinum. Th. VI. Valerianum Magnum. Th. VII. Venetos ex literis Baronis de Schenck ad Spalatinum exaratis. Abr. Bzovii Plagium. Lib. I. Hist. Conc. Trid. Petri Svavis commendatur.

Th. I.

IN eventum rei, quam tanto impetu & rugitu agebat Leo, erant intenti omnes, & summe exitiosum Ecclesiæ futurum haud vane, qui alicujus essent ingenii aut pietatis, ominabantur. Quæ etenim agendi ratio majorem Ecclesiæ inferre poterat cladem, quam necessarias de Ecclesiæ discrimine admoniciones negligere, claudere aures obstrepente adversus monitorem ira, seductorum confirmare studia, illorum tegere latus, contra vero in Christi necessarios veræ fidei assertores insurgere, furere, sævire, neque iræ aut crudelitati modum ponere, nisi sanguine monendi redemerint libertatem? Latronis, quid? ipsius Diaboli id est occupare ministerium non Pastoris defungi partibus.

Th. II.

Gemitus ergo in potestate amplius non habebant illi, quibus Ecclesiæ Christi, imo etiam Papæ Ecclesiæ, cui Sacrosanctum alias Pontificis nomen, salus curæ cordique erat, sed aperte de justissimis Lutheranæ impugnationis causis (per quod latus Leonis certe petebant) vel de Leonis iniquitate palam conquerebantur. Consensit in illorum suspiria ætas posterior, atque (sera quamvis æstimatione) Leonis X. impotentiam rabiemque perspexit. Dabimus illos & plures quidem Lutheri infensissimos hostes, quod ex styli intemperantia constat. Et ut in aperto sit, universum ferme Papæorum orbem in hanc conspirare sententiam, ob causæ bonitatem absolvendum Lutherum, damnandum vero Leonem quoad agendi rationem, eamus amabo per nationum circulos.

Th. III.

Dabit auspicium ITALORUM natio & ex illa, *Justi Lipsii* testimonio in not. ad Lib. I. Politic. Cap. 9. *prudens peritusq; Scriptor, & qui tales Lectores suos facit. Cujus liber verax est & ab affectibus immunis, denique uno verbo inter suos summus est historicus.* Joanne Imperiali Musæi historici p. 93 judice, *rerum omnium incorrupta lance integerrimus assertor*, quis ille? Leonis X. civis, Leonis X. gratia ad Mutinæ ac Rhegi gubernacula promotus. Leonis X. Adriani VI. Clementis VII. Pontiff. familiaris, multum deamatus, quis? *Franciscus Guicciardinus.* Hujus vero sunt sequentia libr. XIII. Historiar. sui temporis ex latina Caelii Secundi Curionis versione p. 488. seqq.

Sequi-

Sequitur annus M. D. XX. quo quum easdem ob causas quibus superiore anno pax in Italia conservata fuerat, tunc etiam perseveraret, doctrina nunc demum contra Rom. Ecclesiæ autoritatem excitatæ vehementer augeri cœperunt; quæ res in Saxonia Germaniæ provincia, ex Martini Lutheri Augustinianam sodalitatem professi concionibus, maxima ex parte veteris Bohemorum sectæ, quæ Constantiensi Concilio damnata & Joanne Hussio ac Hieronymo Pragensi duobus hujus sectæ præcipuis autoribus, ejusdem autoritate combustis, diu intra Bohemiæ fines inclusa fuerat, excitatoris originem habuit. Ut autem hæc in Germania denuo excitarentur, occasionem dederat Pontificatus autoritas, qua Leo nimis licenter utebatur, qui in iis quas indulgentias vocant, quæ à Pontificibus in Sacerdotiis & aliis sacris rebus concedi solent, Laurentii Puccii quatuor sanctorum Cardinalis consilium sequutus, nullo temporum & locorum habito delectu, per universum orbem amplissima privilegia, quibus non modo vivis delictorum veniam consequendi, sed & defunctorum animas ejus ignis, in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgaret: quæ quia pecuniæ tantum à mortalibus extorquendæ gratia concedi notum erat, & à quæstoribus huic negotio præfectis impudenter administrabantur, magnam plerisq; in locis indignationem offensionemq; concitarant, & præsertim in Germania, ubi à multis ex ejus ministris hujusmodi mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ subjici cernebantur: quam indignationem auxit, quod Pontifex, qui ob naturæ suæ facilitatem multis in rebus parva cum majestate pontificis munere fungebatur, multarum Germaniæ partium ex hujusmodi venia exactionum emolumentum Magdalenæ sorori suæ dono dederat. quæ cum Arcimboldum Episcopum ejus muneris, quod per summam avaritiam & extorsionem exercebat, dignum ministrum huic exactioni præfecisset, & per totam Germaniam eam pecuniam, quæ extorqueretur, non ad Pontificem Sacrumve ærarium, unde fortasse ut aliqua ejus pars in bonos usus converteretur fieri potuisset, deferri, sed ad mulieris cupiditatem explendam destinatam esse fama loqueretur, non modo eam exactionem & ministros ad eam delegatos, verum etiam ejus, qui tam inconsulte ea concedebat, nomen autoritatemque detestandam reddiderat: qua occasione arrepta Lutherus hæc contemnere, & in his Pontificiæ autoritatem accusare, cumq; in hac causa populorum auribus grata magnus auditorum numerus accurreret, pontificis autoritatem in dies magis apertè convellere cœpit. Ex his initiis vel honestis, vel saltem ob justam illorum occasionem, aliqua ex parte ferendis - - - - -

Pontifex initio hanc pestiferam doctrinam extinguere nitebatur, sed medicamentis & rationibus ad tantum morbum sanandis idoneis non utebatur: nam Martinum quidem Lutherum Romam venire jussit, concionandi munere ei interdixit

dixit & deinde ob ejus contumaciam diris cum denominationibus est persequutus; sed tamen à multis pernicioſi exempli rebus, quæ à Luthero jure improbatæ omnibus erant moleſtiſſimæ, nequaquam abſtinuit: quo factum eſt, ut ſacra arma, quibus illum perſequebatur, Martini apud populos autoritatem non diminuerint, ſed auxerint potius, quaſi ea magis ob vitæ innocentiam, & doctrinæ ſanitatem, quam alia ex cauſa ei infligerentur; Pontifex multos religioſos homines, qui contra illum concionarentur, in Germaniam miſit; multas quoq; epiſtolas ad Principes & antiſtites ſcripſit: ſed cum neq; id, neq; alia multa ad eum reprimendum, ob populorum erga illum propenſionem & Saxoniæ Ducis gratiam, quidquam proficerent, hæc cauſa in Romana curia in dies gravior videri, & ne ex ea Pontificis potentiæ, Rom. curiæ emolumentis & religionis concordiæ graviſſimum aliquod detrimentum importaretur, ſuſpicio augeri cœpit: hanc ob cauſam Romæ eo anno crebro ſenatus habebatur, multa Cardinalium ac Theologorum ad id delectorum in Pontificis cubiculo, ut huic malo continenter gliſcenti medicamenta invenirentur, colloquia fiebant: & quamvis non deeſſent, qui ea, quæ ad eam usq; diem adverſus illum facta fuerant, quia in ſe ipſis quæ damnari poterant non correxerant, ei exiſtimationem benevolentiamq; populorum auxiſſe, in memoriam revocarent, & minore malo eam rem, quæ fortè ſeipſa eſſet diſſolutura, diſſimulari potuiſſe, quam ignem flatu accendere, atque augere dicerent; nihilominus ut homines natura ad vehementia medicamenta adhibenda magis ſunt proni, non modo illum & reliquos ejus ſectatores, quos vulgo Lutheranos appellant, acrius eſt perſecutus, verum etiam graviſſimum edictum minasq; in Saxoniæ ducem decretum, quo irritatus, illius cauſæ vehementius favit: quæ res aliquot annorum curriculo ita crevit, ut periculum fuerit, ne totus Chriſtianus orbis hoc contagio inficeretur.

Th. IV.

Confirmat iſta Guicciardini *Odoricus Raynaldus ejusdem* nationis Monachus Congreg. Orat. Presbyter, Belcairii conſenſu quoque adducto in Continuat. Annal. Eccleſ. Baronii ad A. 1518. n. 101.

„Cæteros etiam Tezelianos adminiſtros admiſiſſe tradit Florimundus „Raymundus, in divulgandis indulgentiis corruptelas graviſſimas, cum illi „emungendarum à fideli populo pecuniarum, quam expiandarum anima„rum majori ſtudio urerentur: quin etiam Gvicciardinus Leonem X. Pon„tificem carpit, ipſum ex conſilio Laurentii Puccii Cardinalis SS. IV. Coro„natorum, ampliſſimas indulgentias ſine diſtinctione locorum & temporum „promulgaſſe, non modo pro vivis ſed etiam pro animabus expurgatoriis „flammis per modum ſuffragii eripiendis: Cumque pateret hæc ad abraden„dum à populis aurum concedi, atq; illi quæſturæ præficerentur homines, qui illius

„illius exercendæ potestatem à curia Romana coëmerant, versam rem esse in „publicam offensionem, maxime in Germania, in qua multi administri libe„rarum è purgatorio animarum potestatem vili pretio distrahere vel ludo „transferre in alios visi sunt. Auctum etiam fuisse publicum odium, cum „Leo ex innata naturæ facilitate, ob quam pontificii muneris majestatem pa„rum tuebatur, contulisset Magdalenæ suæ sorori aurum Sacrum, quod in „pluribus Germaniæ partibus ex indulgentiarum quæstu redigendum erat; „Creatumque fuisse quæstorem Arcimboldum Episcopum hominem ea indi„gnum provincia, qui munus illud quæstorium maxima cum avaritia & „acerbitate exercebat: cumque per universam Germaniam percrebuisset, „coactas ex indulgentiis pecunias non ad pontificem vel ærarium apostoli„cum deferri, à quo pars aliqua in piis usibus collocanda esset: Sed eas inter„versas, creatum summum odium fuisse non modo quæstoribus aliisque in„dulgentiarum administris verum etiam nomini atque autoritati Pontificis, „qui inconsulte eam largitionem profuderat. Quibus consentanea man„davit historiæ Belcairus Episcopus Metensis: Leo, inquit, delictorum expia„tionem ac suppliciorum, quæ post hanc vitam in purgatorio igne subeuntur, „liberationem promittens, indulgentias passim edi jusserat. Tanta autem „pontificiorum ministrorum impudentia erat, ut harum obeundarum munus „palam nundinarentur inter se, & nonnunquam parum sobrii, præsertim in „Germania in diversoriis, aut alea aut alio ludi genere ad alios transfer„rent: accessit quod pecuniam, quæ inde in aliquot Germaniæ Regionibus „corradebatur, Leo Magdalenæ sorori condonare diceretur.

Th. V.

Sfortia autem *Pallavicinus* S. R. Eccles. Cardinalis in historia Concilii Tridentini Lib. 1. Cap. 3. §. 2. hos Leonis X. Petro Svavi concedit errores.

„Quod si mentionem de his feciss[illegible], ejus quidem obtrectationem excu„sarem, qua Leonem accusat, quod Magdalenæ sorori suæ proventum qua„rundam Germaniæ partium, nempe Saxoniæ finitimarumque regionum, do„no dederit. Hoc non temere Svavis tradidit, quippe à gravi autore mu„tuatus. Et §. 4. Quod autem hic Indulgentiarum proventus peculiaribus „quibusdam redemtoribus fuerit divenditus, turpem quoq; speciem præfert, „usque adeo, ut ingenue fatear, latius fuisse quodcunque incommodum de„vorari, quam hoc scandalum, ut scholæ loquuntur, vel activum vel passivum „Christianis populis afferri. Verum si res ipsa per se perpendatur, quicunque „de hominum commerciis peritus intelliget, vix aliam inire potuisse ratio-

„nem. Quis Principum in cunctis vectigalibus, quæ constituit, non cogitur „idem exequi? Nam tametsi hac via modica pars ad Principem perveniat, „multò tamen minus perveniret, si per administros suo nomine eadem exige„ret. Et tamen coacta vectigalium exactio eam secum affert ex inflicta vio„lentia perturbationem, quæ in collatione voluntaria, qualis provenit ex in„dulgentiis, timeri non potuit. Quare in multis quidem peccavit Leo, sed „non ita graviter, ut ab iis reprehenditur, qui studio sinceritatis volunt apud „populos illum vituperare, à quo quies publica pendet, id est Principem.

Th. VI.

Valerianus Magnus Mediolanensis justas largitur Luthero destinationes fuisse, ut increpationem emendationemque Romani Pontificis urgeret, & Leonis X. imminentis secessus neglectum tacitè exprobrat Prolog. Regulæ Acathol. ad Bibliastas: *Fateor, Bibliæ, fuisse sub finem superioris seculi: Cur homo amans boni publici ac prudens voluisset reformari apud nos pleraq; salva fidei integritate, nusquam deformata. Fuerat ea tempestate Catechismus Christianæ plebi rarus, ignorantia frequentior, mores in populo corrupti usq; ad orbis scandalum. Insederat animis ex insciti illa frequens superstitio in cultu Sanctorum: in veneratione sacrarum Imaginum, in devotione erga Sanctorum reliquias. Invaserant plerosq; Ecclesiasticorum ambitio, Simonia, Pompæ, delitiæ: Quæstus etiam ex Jurisdictione Ecclesiastica gravis populo Christiano. Ipsæ indulgentiæ à privatis Ecclesiasticis sæpius trahi videbantur in nundinas. O mores! O tempora! Sed ô iram divini numinis, defuit qui expostularet opportunam reformationem: nec tamen defuere, qui in orbe creparent secessionem ab Ecclesia Catholica.*

Th. VII.

Neque *Venetos* æquo animo furorem Leonis tulisse ex literis *Burcardi Liberi Baronis de Schenck*, Venetiis eo tempore degentis, constat, quas ad Spalatinum scripsit, illasque ex Manuscripto illustris *Seckendorff* Hist. Lutheranismi f. 115. refert, distulisse etenim Publicationem Bullæ in sequentem annum & in divulganda illa Lutheri consuluisse existimationi. Ita enim ille: *Unum doleas dico, quoniam Patriarcha Venetiarum secunda feria Paschæ jussu Papæ ab omnibus Prædicatoribus fecit excommunicari Magistrum Martinum Luther, & omnes habentes Libros suos quoscunque & fautores ipsius cujuscunq; gradus, & status, cum magna totius Germaniæ derisione, tanquam consentientis; in hoc tamen Domini Veneti prudenter egerunt, quod noluerunt hoc publicari, nisi postquam populus fuerat confessus, dimisso nempe cœtu aut maxima ejus parte.* Nolo hic molestus esse Papæ Parasitis testimonio *Petri Suavis,*

vis (Pauli Sarpii) publici Venetorum Interpretis, quanti veritatem faciant, Papæque detestentur tyrannidem, cujus historiam Concilii Tridentini eo loco habuit *Abraham Bzovius* Papæ assentator nequissimus, ut plagii ipsum non puduerit. Lege sodes, & si potes risum contine, quæ Jesuita *Raynaudus* ea de re habet Tom. XIX. Opp. de Immunitate Cyriacorum f. m. 293. Legant interim relegantque Librum I. Pauli Sarpii Papæ mancipii

Caput IV.

Lemmata.

GALLOS Leonis X. Processum improbantes sistit. Th. I. Cardinalem Sadoletum Leonis X. Secretarium. Th. II. Thuanum. Th. III. Henr. Spondanum. Th. IV. Florimundum Ræmundum. Th. V. Lud. Maimbourgium.

Th. I.

ITalos excipiant GALLI. Dolorem suum, quem ex iniquo Leonis adversus Lutherum processu concepit, ingenue confessus est *Jacobus Sadoletus*, Episcopus Carpentoractensis & R. E. Cardinalis tum adhuc Leoni X. ab Epistolis. Vir alias Papæ observantissimus, *& quem Antonius Florebellus*, in vita Jacobi, *ita in Remp. Romanam versatum esse, ait, ut nihil præter ipsius Reip. commodum & sedis Apostolicæ dignitatem, propositum unquam habuerit, ac sententiam suam ea qua decuit libertate & constantia semper dixerit.* Ita autem in literis ad Georgium Saxoniæ Ducem, Lib. X. Epist. pag. 425. scribit:

„Ego cum apud Leonem X. Pontificem M. (quod te meminisse aliqua ex „parte arbitror) honestissimum locum tenerem, atque illo tempore exorta „essent nova hæc & turbulenta Lutheranorum dogmata: aliqua hinc quidem „etiam culpa sed tamen majore temeritate eorum, qui ab odiis hominum ad „inimicitias Dei sunt progressi, ut qui essem Christo & Christianæ fidei vehementer addictus, sanctumque & inviolate servandum morem majorum esse „ducerem, maximo ex illis rebus afficiebar dolore: neque quicquam unquam „vidi mea in vita tristius, quam illud factum esse inter nos dissidium, quo non „religionis solùm unitas atque concordia, sed salus tota Christiani nominis „in discrimen vocabatur. Augebat dolorem meum, quod multa quoque „ab hac parte fieri videbam parum accommodata temporibus illis. Nam „neque ea, quæ huic malo apta poterant afferri remedia, nulla afferebantur; „vox audiebatur bene monentium & suadentium: ut quæ mansuetudine & „à quibusdam rebus abstinentia temperantiaque poterant vulnera sanari, ea ne fer-

„ne ferro & asperioribus quasi medicamentis incrudescere cogerentur. Ex„cessit è vita Leo, breviqúe interjecto Adriani tempore successit Clemens, vir „natura bonus, idemque colens recti atque honesti, si perpetuo constare sibi „ipse, & in consiliis suis manere potuisset.

Th. II.

Ipsum nunc audiamus *Jac. Augustum Thuanum* absoluti historici absolutissimum instar, cujus in Ecclesiam Romanam fidem adversus *Jesuitas Macaldum & Erbermannum* asseruimus in dissert. nostra de *Caroli V. morte Evangelica* p. 35. seqq. hujus vero sunt sequentia Lib. 1. Hist. ad an. 1515. & 1516. „Peccatum tunc in sacris muneribus dispensandis admissum, Leo mox longe „graviore cumulavit: Nam cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua fer„retur, Laurentii Puccii Cardinalis hominis turbidi, cui nimium tribuebat, „impulsu, ut pecuniam ad immensos sumptus undique corrogaret, missis per „omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiatio„nem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro „peccati gravitate penderet: in eamque rem per provincias quæstores & „æraria ordinavit, quibus additi præcones, qui tanti beneficii magnitudinem „apud populum commendarent, & orationibus artificiosè compositis, pro„positisque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent. Quod licen„tiose nimis a Pontificiis ministris passim atque in Germania præcipue fiebat, „ubi, qui redimendam pecuniam Romæ è Pontifice conduxerant, per lustra „& popinas quotidie sine pudore in aleæ lusum ususque turpissimos, potesta„tem extrahendi animas defunctorum ex igne expiatorio profundebant. „Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus, Wittenbergæ in Saxonia „Theologiam professus, qui refutatis primum, mox damnatis præconum „concionibus eo postremo devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi „per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ „examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per con„tentionem animis descenderet. Sed hæc postea acciderunt.

Th. III.

Pollicem Thuano premit *Henr. Spondanus* Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus Tom. II. Annal. ad A. 1517. n. 15. postquam enim initia Reformationis narrasset, addit: *Atque ita ex his scintillis eruperunt ingentes illæ flammæ, quibus magna orbis pars postmodum conflagravit: quæq; potuissent fortassis, aut revocatione ejusmodi pecuniarum exactionis (quæ nihil propter hæc cessavit sed potius crevit) vel modica aquæ aspersione restingui, nisi acriori succensorum concursu vehementiores vires accepissent.*

Th. IV.

Th. IV.

Non dissimulat indignationem suam, quamvis intra dentes mussitet, *Florimundus Ræmundus* aut Jesuita *Ludovicus Richeomius* sua Ræmundo Senatori Burdegalensi (qui, omnium ore, scribebat libros sine scientia, ædificabat proprias ædes sine pecunia, & judicabat sine conscientia) ova supponens Lib. I. de Orig. hæres. C. VIII. p. 36. „Negari non potest Lutherum aliquam cau„sam habuisse clamandi, & Sanctum nostrum Eremitam suspirandi & votis „poscendi Reformationem. & cap. IX. p. 40. Id certe omni tempore expe„rientia docuit in facti quæstione posse errare, etiam apud S. Sedem, & forte „etiam satis error Facti tempore Leonis X. PP. accidit, tunc cum Christiana „Respublica vitium facere ac diffindi, ut ita dicam, cœpit. Is enim ut mitis „ingenii erat Princeps, ita facilis erat ad credendum, grave illud quod sustine„bat onus pro aliqua parte de suis humeris in alienos sæpe transferens. Et ut „natura erat quietis amans, ita lubenter omnia, quæ molestiam aliquam pare„re possent, à se in alios dejiciebat. Ex quo factum esse potuit, ut de tantis, „quæ in Germania exortæ erant, turbis quoad omnes circumstantias parum „ex fide edoctus, uni fortasse parti aures præberet, quæ quotidie seditiosis Lu„theri propositionibus feriebantur, tacita interim vera hujus funestæ con„tentionis origine, quæ erat infamis illorum sacrilegorum avaritia, qui & „Ecclesiæ thesaurum, & honorem Dei in terris Vicarii, cui ille distribuendus „commissus est, tam turpiter prostituebant. Fama quoquè erat falsa fortas„sis, Magdalenam Mediceam Pontificis Sororem partem habuisse pecuniæ, „quæ Indulgentiarum forficibus tum de Jesu Christi ovium velleribus de„tondebatur: cujus colligendæ cura, ut nonnulli scribunt historici, Episco„po Arembaldensi, ad ejusmodi munus apto homini fuit demandata, quod „ille avarè nimis exercuit, tanto majori omnium indignatione, quod ad ex„plendas fœminæ cupiditates sacram pecuniam interverti viderent. Verum „de tali errore, non Juris, sed Facti ego sententiam ferre non ausim, cum pro„bare eum non possim. Suspiciones ipsas refero, quæ sæpe ipsæmet fal„luntur.

Thes. V.

Ludovicum quoque *Maimbourgium* Exjesuitam hic audire operæ pretium est. Ita vero ille Historiæ Luth. Lib. I. Sect. 6. „Bona fide agnoscen„dum est, quod Pontifices, qui postea successerunt, in dispensatione spiritua„lis hujus thesauri multum cautiores fuerint, & quod illo tempore quædam „facta sint, quæ nunc non fierent, & per quæ tunc effectum est, ut indulgentiæ „Leonis, in se licet optimæ, odiosissimæ tamen præsertim in Germania, red„derentur. Nam Leonem ferunt statim & absque hæsitatione sorori suæ,

„Cibo principi nuptæ, assignasse indulgentiarum proventum in Saxonia & vicinis regionibus, usque ad mare Balthicum, idque ideo, ut familiæ Cibo-
„rum vicem redderet pro subministratis sibi, cum res angustas haberet, largis
„subsidiis: Leo enim Florentia patria expulsus, Genuæ exulaverat. Sunt
„præterea autores, qui asserunt, quod indulgentiæ istæ ad paratam pecuniam
„conquirendam veluti hastæ subjectæ & plus offerentibus locatæ fuerint; qui
„licitatores postea, non tantum ut æs erogatum reciperent, sed & locupletio-
„res ex commercio hoc pudendo fierent, præcones & quæstores indulgentia-
„rum bona mercede conduxerint, quos satis idoneos putabant, ad inducen-
„dum plebem, ut pro impetrandis indulgentiis contribueret, quicquid avari
„& sacrilegi isti redemtores prætenderent. Certum est, quæstores eo tem-
„pore ad oblationes fidelium recipiendas constitutos, quo Urbanus II. indul-
„gentias cruce ad bella sacra signatas publicavit, sensim avaritia tentatos cor-
„ruptosque fuisse, ut tandem magnos abusus in functionibus suis admitte-
„rent. His corrigendis, & ad amovendum scandalum opus fuit canonibus
„Ecclesiæ, quos Innocentius III. in Lateranensi, & Clemens V. in Viennensi
„concilio condidit. Etiam in Constantiensi Concilio inter capita, propter
„quæ Johannes XXIII. condemnatus fuit, hoc erat, quod Legato cuidam suo
„potestatem dedisset confessionarios constituendi, qui (sunt verba Concilii)
„absolvere possent à pœna & culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus, de quibus maximas pecuniarum summas exhausit & extorsit, Christi fi-
„deles seducendo, & statum ac vitam Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandali-
„zando: Verum his decretis & cautelis non obstantibus, negari nequit, ava-
„ritia privatorum in indulgentias etiam à Leone publicatas abusus magnos
„irrepsisse. Pontifex hic promulgationem in Germania commiserat Alber-
„to, fratri Joachimi Electoris Brandenburgici, Archi-Episcopo Moguntino
„& Magdeburgensi. Iste Prælatus, magnæ utique autoritatis & raræ virtutis,
„ob quam biennio post à Leone Cardinalis creatus fuit, delegavit negotium
„Johanni Tezelio Dominicano, fidei inquisitori, qui non multo prius simile
„gesserat, &, insigni cum equitum Teutonicorum utilitate, magnam pecuniæ
„summam collegerat, dum indulgentias pro bello contra Moscovitas prædi-
„caret. Tezelius ordinis sui religiosos in partem laborum associaverat. Hi
„susceptum munus, ut sæpe fieri solet, ultra limites urgendo, ita exaggerebant
„indulgentiarum pretium, ut occasionem darent populo credendi, certum
„esse unumquemque de salute, & de liberandis ex purgatorio animabus,
„quamprimum soluta pecunia literas, quibus concessio indulgentiarum si-
„gnificabatur, redemisset. Hoc sine dubio scandalosum erat, ut Principes in
„comitiis Norimbergensibus congregati, apud Adrianum VI. Leonis succes-
sorem

„sorem postea questi sunt. Augebat scandalum, & plus una vice tumultu-
„andi initium plebi dederat, quod subdelegati quæstorum, qui lucrum indul-
„gentiarum redemerant, quotidie in popinis versarentur, & partem nummo-
„rum turpiter prodigerent; hosque crudeliter sibi interversos esse pauperes
„& mendici querebantur, qui hac indulgentiarum nundinatione eleemosynas
„sibi subtrahi dicebant, quas aliàs accepturi fuissent. Hi certe abusus à tot
„celebribus autoribus acrius quam à me, & variis lingvis, Latina, Gallica,
„Italica & Germanica memorantur, ut Historicus, qui eos supprimere cona-
„retur, frustra laboraret. Neque negari potest, immo ab omnibus concedi-
„tur, hos abusus occasionem Lutheranismo dedisse, idque ultima sessione S.
„Concilii Tridentini non obscure significatur.

Et Sect. XXII. Interea Leo magnum hunc tumultum, Bulla com-
„pesci posse credens, componi illam fecerat, per quam doctrina catholica de
„indulgentiis exponebatur, & confirmabatur, secundum constitutionem
„Clementis VI. Sed cum legatus hanc in Germania quindecim diebus post
„Lutheri protestationem publicari fecisset, & indulgentiæ jam valdè invisæ
„essent; in Saxonica potissimum factum est, ut Bulla isthæc saltem pro uti-
„litate Papæ & quæstorum edita esse videretur, neque ferè esset, qui quidquam
„pro indulgentiis solvere cuperet.

Et Sect. XXX. Ad hanc Bullam in Germaniam deferendam Eccius
„nuncius constituitur, acceptis ad Ducem Saxoniæ & universitatem Witten-
„bergensem literis, in quibus ad publicationem ejus commonebantur. Sed
„hoc ipsum non parum nocuit huic negotio. Amici enim Lutheri Bullam
„istam tantum odio & fervori Eccii contra Lutherum attribuebant.

Reliqua transeo.

CAPUT V.

Lemmata.

*HISPANOS refert, justas adversus indulgentias scribendi ratio-
nes habuisse Lutherum testantes. Th. I. Alfonsum a Castro. Th. II.
Caramuelem a Lobkowitz.*

Thes. I.

ARcessamus age HISPANOS, Pontificibus cætera addictissimos, & o-
mnium, qui à Romana Ecclesia alienos se profitentur, Vatinianos hostes.
Hos inter magnum ac celebre nomen est *Alphonsi à Castro* Ordinis minorum
S. Francisci & Caroli V. Imperat. à Concionibus & confessionibus sacris,
designati Archi-Episcopi Compostellani (non confundendi cum Jesuita ejus-

dem nominis Alphonso à Castro Lusitano.) qui in Opere, Francisci Fevardentii curâ sæpius recuso, de justâ hæret. punit. Lib. III. c. 3. f. m. 405. ita scribit:

Ad hoc genus hominum pertinent ferè omnes quæstuarii indulgentiarum prædicatores, ex quibus vix unum aut alterum invenies virum doctum, qui sciat de re, quam prædicat, vel mediocrem reddere rationem. Nunquam aut fidem aut mores suâ prædicatione docere intendunt, sed is solus prædicationis suæ scopus est, plures ab auditoribus non solum haurire, sed extorquere pecunias. Quod ut assequantur, indulgentias, quas populo prædicant, plus debito exaggerant, quaquaversum se vertunt, plangunt, lamentantur, nihil denique pro pecuniis extorquendis intentatum relinquunt, etiam si cum fidei periculo *id faciant. Nam sæpè indulgentias quas prædicant adeò extollere cupiunt,* ut pro illarum laude execrandas ex ore suo hæreses effundant. NB. *Quantum autem nocumentum ex hoc genere hominum fuerit Christianæ reipublicæ illatum, tota Germania potest esse testis. Quoniam hæc prima radix fuit, unde tota hæc Lutheranorum pestis orta fuit, nam cum rabulas quosdam indulgentiarum prædicatores Lutherus audisset, qui plura, quam par erat, de indulgentiis dixerunt, adeo horrenda illi sunt visa, ut impium iniquumque existimaverit tacere & illis non obviare. Zelo igitur & non secundum discretionem motus in publicum prodiit, & contra hos omnes prædicavit non veram indulgentiarum intelligentiam (ut oportebat) edocens, sed eas prorsus evertens, & dicens eas nullius prorsus esse utilitatis. Cui cum aliqui viri docti repugnarent, suaderentque ut palinodiam caneret, tantum abfuit, ut id facere vellet, ut multo pejora, quam prius, effundere non dubitaverit. Ab istis igitur quæstuariis indulgentiarum prædicatoribus primam ansam hæresis suæ Lutherus accepit. Quod nomen in tantam jam abiit infamiam apud probos & cordatos viros, ut nullus, aut rarus sit vir bonus, & doctus, qui indulgentias prædicare dignetur, non propter ipsas indulgentias, sed propter illarum prædicatores, qui officium prædicationis illarum dehonestarunt, & reddiderunt infame. Ego quidem indulgentias, si rectè dispensentur, sanctas & valde æstimandas esse censeo,* NB. illarum tamen prædicatores, ut quædam Christianæ reipublicæ monstra abominor. *Consulerem quidem Principibus, ut eas non nisi per probos & doctos viros prædicari permitterent, & sic primum religioni, deinde quæstui bene prospicerent. Nam plus (ut existimo) & libentius bonis & doctis viris tribueret populus, quam his blateronibus, quibus raro aliquis, nisi invitus, aliquid pro indulgentia confert, quippe quia semper putat eos esse mendaces. Sunt alii prædicatores non tam ignorantes ut isti, de quibus nunc diximus, sed mediocriter docti, qui si sua sorte vellent esse contenti, possent pro*

sua

sua mediocritate populo satisfacere, & illum in fide & moribus instituere. Sed quia supra meritum suum æstimari à populo appetunt, ideo altiores & graviores sententias, quam ipsi interpretari valent, populo prædicare contendunt: Quorum prædicatio sæpe nocere populo magis quam prodesse potest. Nam cum ipsi prædicant quæ non bene intelligunt, necesse est ut perverse interpretentur aut obscura sine ulla interpretatione relinquant. Quod cum evenerit, etsi multi ex auditoribus propter mysterii reverentiam ab illius scrutinio intellectum suum avertant, multi tamen qui audaciores sunt, & minus mysteria reverentur, pro suo arbitratu interpretabuntur & errabunt.

Thes. II.

Alphonso succedet *Johannes Caramuel à Lobkowitz*, Doctor Professorque Lovanienſis, Vigleanenſis post Misivensis Episcopus & suffraganeus Moguntinus, Abbas in Monte-Ferrato & Regni Bohemiæ Officialis Generalis, de cujus elogiis & autoritate inter Pontificios plura diximus in *Logica Papæorum ἀλόγῳ* pag. 7. Hic itaque Caramuel à veritate passus est, sibi hæc verba quamvis invito exprimi, quæ in ejus Theologia fundamentali pag. 43. leguntur: *Incepit Martinus Lutherus contra abusus Indulgentiarum concionari: & quamdiu contra abusus solummodo, pie & sanctè. Reperit, qui propugnent, quæ præstaret corrigere, exacerbatusque ad alios abusus transgreditur, & salva Fidei & Ecclesiæ unitate corrigi singula vult, quæ carpit magnus.*

Caput VI.

Lemmata.

GERMANOS iniquitatis Leonis & innocentiæ Lutheri testes producit. Th. I. Paulum Langium. Th. II. Laurentium Surium. Th. III. Refertur Comœdia coram Carolo V. acta. Th. IV. ex Belgio testimonium Epistolæ Pastoralis Episcopi Tornacensis.

Thes. I.

His expositis non difficile fuerit inter Germanos nostros, tametsi Pontificis castra secutos, ejusdem veritatis testes deprehendere, quorum principem locum merito suo occupat *Paulus Langius* Cygnæus, Monachus Benedictinus & Presbyter, in Chronico Cizizensi, pag. 807. Tom. I. Scriptura à Joh. Pistorii ô collectorium, in hæc verba scribens:

„Nam cum in hunc finem (ut præsumitur) ipse Papa indulgentias „maximas, & antea (ut declamabant) inauditas octennio per Germaniam du„raturas dedisset, & jam pene triennio in Misnia & Saxonia & circumquaque

„viguissent, & infinita pecunia congesta per commissarios fuisset, tandem „Germani nostri Romanensium & fraudem, & astutiam, indulgentiasq; præ„dicantium abusum & avaritiam intelligentes, manus retrahere cœpere: Po„tissimum contra easdem indulgentias, immo (ut dixi) ne clamantium in„tolerabilem abusum & excessum, disputante, prædicante, & scribente, vene„rando viro & profundissimo Theologo, Patre Martino Luthero, Witten„bergensis Academiæ & conventus, qui sua & doctrina & prædicatione mira„bili indulgentiarum omnium valorem annihilavit, & prorsus in dubium „vertit, populumque ab earundem redemptione avertit; eas minimè ad salu„tem fore necessarias affirmans, non remissionem peccatorum, sed pœni„tentiæ neglectum & aliorum pietatis operum relaxationem, impedimen„tum, & vitium esse: nec merita Christi & Sanctorum thesaurum indulgen„tiarum esse, cum in primitiva Ecclesia, & longè post penè per mille & ultrà „annos nihil de eis scriptum per sanctos reperiatur orthodoxæ Ecclesiæ Do„ctores, nec quippiam magnifice (ut nunc auri amore fit) de eis creditum „aut æstimatum fuerit; asserens insuper & probans, Romanam Ecclesiam „non esse jure divino primam, & caput omnium. Hujusmodi ejus doctri„na nova & prædicatio confestim toto insonuit orbe, & infinitos in suam tra„xit sententiam, adeo ut passim populi Romanensium dolum agnoscentes, „& dictorum veritatem perpendentes, indulgentias ipsas relinquere naucique „pendere cœperint; potioribus, id est pœnitudinis & misericordiæ, sese ope„ribus Martini ejusdem hortatu mancipantes. Et in tantum ipse unus ho„mo suis declamationibus invaluit, ut ipsi indulgentiarum præfecti, & com„missarii imo Archi-Episcopi & Episcopi, in Ecclesiis suis ipsas indulgentias „deponere & suspendere cogerentur: Quamobrem ipse Papa, & Cardina„les, omnesque Romanenses, modum in mirum contra Martinum & freme„re & excandescere cœperunt, doctrinam ejus anathematizantes, idolum „Martini suis cum scriptis veluti hæresiarcham igne publicè Romæ creman„tes, & in præsens usque modis omnibus ceu alterum Athanasium persequi „non desistunt, potissimum quod disputaverit, Romanam Ecclesiam non „esse divino jure primam & caput Ecclesiarum orbis, & alia quædam ejus „rara & ardua dogmata, quæ non modo Romanenses, sed & complures alii „doctissimi, præcipue tamen Thomistæ, impugnare non cessant. Verun„tamen Martinus ille, Theologorum nostræ tempestatis omnium facile sa„pientissimus Princeps, doctrinam suam Evangelicis testimoniis & divi A„postoli Pauli, nec non priscorum orthodoxorum patrum originalibus di„ctis, roborans & comprobans, eatenus perstitit invictus; habens & ipse „nihilominus adhærentes & consentientes etiam aliarum regionum consum-

ma-

„matissimos theosophiæ doctores, ut eruditissimum & eloquentissimum „illum divinarum scripturarum interpretem novum Erasmū de Roterodamo, „Joannem Reuchlin, Jacobum Stapulensem, Jodocum Clutoveum, & plures „alios. Cœpit autem prænarratum bellum literarium inter eum & Roma„nenses, & ipsa indulgentiarum cassatio, anno Domini millesimo centesimo „decimo septimo. Hallis autem & per Saxoniam sequenti fuit anno sus„pensa, primo & unico anno (ut fama fuit) centum millium aureorum „damnosam privationem inferens Romanensibus. Proinde pius lector pen„sitare poterit, quam inæstimabilis collecta duntaxat per Germaniam fuis„set pecunia, ipsum si indulgentiarum negotium adhuc integro lustro, uti „præfixum institutumque fuerat, perdurasset. Ast ô Deus, quorsum tanta „tandem deveniisset peccunia! Re vera haud adversus Turcas, haud in fabri„cam, minus vero in calamitosorum & gentium solatium, aut captivorum „redemptionem, cum etiam millesima pecuniarum pars per complures an„nos sub eodem colore collectarum usus in memoratos vix aut nunquam „præsumitur exposita. Quo igitur deveniisset? dubio procul ille quò in„dicibilis thesaurus sub Alexandro sexto per Raymundum, gratiosissimi ac „indulgentissimi Jubilei à latere legatum, contra Turcos collectus devenit, „in Cardinalium videlicet & præsertim Papalium amicorum æraria reposi„tus. Nec mirum, cum nuper quidam frater ordinis mendicantium, præfa„tarum indulgentiarum per Saxoniam terrasque nostras commissarius, mo„riens duo millia florenorum, quos ex pœnitentium lachrymis corraserat „& extraxerat, in extremis reliquerit. Et quidem expeditionem in Turcos „magnopere necessariam ambigit nemo, sed ad eam promovendam Roma„nenses post mortem Calixti tertii, qui magna eam ob rem fecit, pecuniam„, „non dicam propriam, sed nec in hunc quidem finem collectam, unquam cu„rarunt exponere. Qui ut sunt & ditissimi & potentissimi, si à dicto tem„pore decimam duntaxat bonorum suorum partem, id est decimum dena„rium, contra Turcos impendissent, dudum ipsum Turcum extra Europam „fugassent, & ultra Bosphorum residere ac quiescere coëgissent. Ast nunc „eorum incuria, fraude, & avaritia, assidue Turcorum vires increscunt, ha„bentque exin timere, quod Deus avertat! ut qui nunc modicum pro tuitione „fidelium detrectant exponere, tandem totum cum ipsa vita dare cogantur „etiam invitissimè. Et quidem prædicta omnia, quæ de Romanensium exa„ravi moribus, non meo sensu vaticinatus sum, sed ea cuncta ferme in quo„dam tractatulo vernacula nostra lingua impresso descripta comperi muta„toque famine huic operi vitiorum odio veritatis autem amore intexui. Por„ro quæ de Martini Lutheri doctrina disserui, non sicuti discipulus illius as-

ser-

„sertivè (quod absit) sed potius admirativè posui, utpote nullius adhuc ju-
„ratus in verba magistri. Sed cum sim & ego more suspensus multorum,
„quo usque per œcumenicum universale & generale concilium, quid in tam
„ardua re tenendum sit, decretum fuerit; paratus nihilo tamen minus &
„modò & semper à rectè sapientibus doceri, quorum etiam & potissimum
„Romanæ Ecclesiæ judicio hæc præsentia & alia qualiacunque mea scripta &
„corrigenda & examinanda subjicio: tametsi ego supra narrata non de Ro-
„manis, sed Romanensibus, id est non indigenis, sed aliunde ad eam conflu-
„entibus descripserim, & ob id rem curasse non debuerim, cum vitia quo-
„rumcunque ferenda non sint, ipseque divus Bernhardus multo & acerbiora
„& execrabiliora de Romanis ad Eugenium summum Pontificem depromse-
„rit. Quæ utinam vera non essent, utinam mendaces in hac parte essemus
„omnes, ut vitiis eliminatis Romæ sanctitas ipsa & morum integritas, justitia
& veritas, ad salutem totius orbis & fidei robur inveniretur, destrueturque,
„ceu falsum & injuriosum illud vulgatissimum etiam laicorum dicterium,
„quo dicunt: Romæ propiores Christianos esse deteriores; & curiam Roma-
„nam non quærere ovem sine lana. Sed nunc de his satis.

Thes. II.

Quis verò non miretur vim mirificam veritatis, quæ *Laurentio* quoque *Surio* Monacho Carthusiano & Papæ parasito, partium studiis plurimum dare solito, hanc potuerit extorquere confessionem. Commentar. rerum in orbe gest. ad A. 1517. pag. 92. *Interea Romæ Leo Pontifex largissimas promulgat condonationes sive indulgentias, eique negotio in Germania præficit Moguntinum Archi-Episcopum Albertum, Principem celeberrimum. Is ad prædicandas eas indulgentias delegit Johannem Tezelium Dominicanum. Ea res pessime habuit quosdam Ordinis Augustiniani, imprimis Joannem Staupitium, ejus ordinis Generalem per Germaniam Vicarium, virum nobilem, facundum & Friderico Principi charum, itemque Martinum Lutherum Lectorem Ordinarium Wittembergæ. Et quia interdum non parvi abusus ejusmodi evulgandis indulgentiis se immiscuerant, inde sumpta occasione, Lutherus primum in indulgentiarum immodicos quosdam & sordidos, suo duntaxat quæstui servientes, buccinatores acriter invectus est, datis ad Moguntinum antistitem literis. --- Mox vero Lutherus etiam 95. propositiones palam edidit, quibus indulgentias oppugnavit. Contra verò Tezelius 106. Propositiones evulgavit, Lutheranis plane contrarias. Ex hac lite ortum est illud immane & horrendum Lutheranæ hæreseos incendium, quo tota pene Europa postmodum conflagravit. In ipsis hujus Tragœdiæ initiis visus est Lutherus etiam plerisq;*

Viris

Viris gravibus & eruditis non pessimo zelo moveri, planeq; nihil spectare aliud, quam Ecclesiæ reformationem. Cujus quidem deformes abusus non parum male habebant bonos omnes.

Thes. III.

Huc etiam refer ingeniosum illud *Drama*, per quod tempore Comitiorum Augustanorum, nescio quis homo, certe rerum gnarus, totum negotium restitutæ Evangelii literarumque lucis & ortarum inde turbarum belle expressit. Accipe illud ex Eliæ Ehingeri Thesauro Antiquitatum pag. 370.

Kurtzer Bericht einer stummen Comödie / so auff dem grossen Reichstage Anno 1530. zu Augspurg nach einer Mittags-Mahlzeit gehalten/vor dem hochlöblichsten Kayser Carolo V. und seinem Herrn Bruder Ferdinando I. darinn der Lauff des Evangelii durch eine sondere Invention fürgebildet worden.

Erstlich ist eingetreten ein Mann/ mit einem Arm voll Holtz allerley Gattung/krum und gerad/der hatte auf seinem Rücken einen Zettul / darauf stund geschrieben Doctor Reuchlin, welcher in Teutschland einen guten Anfang zu der Hochteutschen Sprach gemacht / der warff das Holtz in den Sand und gieng davon.

Nach diesem ist eingetreten ein Clericus, der hat auf seinem Rücken einen Zettul/darauff stund Erasmus Roterodamus, welcher die Catholische und Evangelische Religion etlicher massen vergleichen wollen. Der unterstund sich das krumme Holtz gerade zu legen/und gieng auch davon.

Die dritte Person war in Gestalt eines Mönchs/der hat auch ob dem Rücken einen Zettul / darauff stund Martin Luther / der richtet das krumme Holtz schlecht und gerad/zündet es an / daß es gar in hellen Flammen stund / und brandt in aller Macht/ ließ es brennen und gieng auch davon.

Alsdenn kam die vierdte Person aufgezogen/und trat auf den Saal/ in Gestalt des Pabsts Leonis, hatte unter ieden Arm einen vollen Kübel/ einen mit Oel / den andern mit Wasser angefüllet/ und wolte das Feuer auslöschen und dämpffen. Ohn alles gefehr/schüttet er an statt des Wassers den Eymer oder Kübel mit Oel in das Feuer/ da ward es noch gröSSer/ must es also brennen lassen und gieng davon.

Endlich kam die fünffte Person in Gestalt eines geharrnischten Mannes / im gantzen Küriß/ der hatte in der Hand ein blosses Schwerdt/ wolte das Feuer mit Gewalt dämpffen / und schlug mit allen Kräfften drein. Je mehr er aber drein schlug/wurde das Feuer ie länger ie gröSSer.

Muste ebenmäßig unverrichter Sache davon gehen/und das Feuer wider seinen Willen brennen lassen/wie es denn noch biß dato brennet.

Thes. IV.

Jungamus denique Germanis Belgam, qui hac in parte non minus facit cum Germanis, quorum testimonia jam produximus, quam linguam & nationem Belgarum constat proxime ad Germanicam accedere. En igitur Tibi verba *Episcopi Tornacensis* in Epistola Pastorali ad fideles diœceseos suæ ita scribentis pag. 18. *Sane si Lutherus Ecclesiæ Catholicæ præsulibus tantum aperiisset, quæ circa indulgentias peccabantur, laudandus plane erat ipsius zelus, coercendi fuerant ii, qui concessis ad bonum Ecclesiæ indulgentiis per summam & ad omne scelus projectam audaciam impudentissime abutebantur. Hoc deinceps fecit sanctissima Tridentina Synodus. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Es. V. Indulgentiarum nundinatio damnanda erat, etiam tempore Lutheri, & quæ super ea re reformanda monuit, NB. reformari debuerunt.*

Caput VII.

Lemma.

Discussio Quæstionis: Utrum si Episcopatum Luthero Papæ obtulisset, ille passus fuisset se ab instituto suo dimoveri?

Th. I.

B. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus errores Johannis Hierosolymitani, narrat, Prætextatum Ethnicum hominem solitum beato Papæ Damaso per jocum dicere: *Facite me Urbis Romæ Episcopum & ero protinus Christianus:* Ita è Pontificiis quoque nonnulli ex suo ingenio B. Lutherum judicantes serio affirmare non dubitant, si à Leone non excommunicatus sed Episcopatu ornatus fuisset Lutherus, futurum fuisse ut ille ex fervido & adversus abusus plus quam Ethnicos zelante Christiano evasisset hypocrita, suumque damnans institutum Papæ parasitus. Sane jam olim Sylvester Prierias, cujus supra plus simplici vice mentionem feci, impugnans theses à B. Luthero vulgatas, hanc suam putidam suspicionem ipsi in os ingerere ausus est his verbis: *Si tu Luthere à Domino nostro habuisses bonum Episcopatum cum plenaria indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, & quibus detrahis, venias extulisses.* ap. Luther. Tom. I. Witt. Lat. p. 165. b.

Th. II.

Th. II.

Sed operæ pretium est audire, quale à Megalandro responsum tulerit ille mendaciorum patronus ibid. p. 182. *Forte & tu spectas me ex animo tuo, quod conjicio ex eo, quod tam molliter adularis. Si ego Episcopatum adspirarem, certè ea non loquerer, quæ tu impatientissime audis. An ignorare me credis, qua via Episcopatus & sacerdotia in orbe obtinentur, quando hanc pueri in omnibus plateis urbis cantant?*

Denigs nunc facta est rerum fœdissima Roma &c.

Ac profecto tanta fuit Lutheri pietas & constantia, ut non magis beneficiis, quam minis & injuriis animum suum infringi passus fuisset, ad improbanda & revocanda ea, quæ Dei verbo consentanea esse certè noverat, vel ad probandos & laudandos gravissimos abusus, quos Deo & omnibus cordatis hominibus adversos nec tolerandos amplius esse, sua ipsum docebat experientia. Ita nulla unquam conditione quicquam vel cuiquam alii concedere, nisi salva veritate sustinuit. Qui igitur vana conjectura ducuntur, veritatis proditorem fuisse futurum Lutherum, Papæ mitiora consilia beneficiaque expertum, non satis eum noverunt, neque intelligunt, quam cordatus firmusque & tenax propositi Vir, quam devoto in Deum animo, quantus contemtor honorum opumque fuerit, ut ex ejus scriptis & omnibus actionibus abunde licet perspicere.

Th. III.

Fatendum nihilominus est, si mitius cum Luthero egisset Leo Pontifex, non facile eo usque fuisse perventurum, ut universum Papatum subverteret, sed acquieturum fuisse, sublatis & emendatis quos carpebat gravioribus erroribus atque abusibus. Fatetur hoc ipse Lutherus in præfatione Tom. I. Opp. suorum Lat. junctim editorum Witebergæ, ubi meminit Caroli Miltitii, qui Pontifici & Antistiti Moguntino multis verbis pacis consilia persvadere conatus est: *At*, inquit, *futilis habebatur Carolus, & futile ejus Consilium, sed meo judicio, si Moguntinus à principio, cum à me admoneretur, denique si Papa, antequam me non auditum damnaret & Bullis suis sæviret, hoc cæpissent consilium, quod Carolus cæpit, licet sero, & statim compescuissent Tezelianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum. Tota culpa est Moguntini, cujus sapientia & astutia eum fefellit, qua voluit meam doctrinam compescere, & suam pecuniam per indulgentias quæsitam esse salvam. Nunc frustra quæruntur consilia, frustra coguntur studia. Dominus evigilavit, & stat ad judicandum populos, etiamsi nos occidere possent, non tamen haberent quod volunt, imo minus haberent, quam nobis vivis & salvis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omnino obesæ nares sunt, satis olfaciunt.*

Gratiæ itaque habendæ DEO immortali, qui stultitia & furore hostium Evangelii utiliter usus est, ad promovendam & restituendam lucem Veritatis, ut ita etiam invitus Papa ipse Lutherum quasi coëgerit, ad suscipiendum magnum opus Reformationis, & ad dethronizandam Babylonem, de qua audiverat tot viros Dei querentes: *Curavimus Babylonem, sed non est sanata, Derelinquite eam & abeamus quisq; in terram suam.* Jerem. LI. 9.

ECCLESIA PAPÆA
LUTHERANÆ REFORMATIONIS CLIENS,
sive
Quantum Pontificiis
REFORMATIO B. LUTHERI
ipsis non diffitentibus profuerit?
DISSERTATIO.

JESU FORTUNANTE!

CAPUT I.

Luthero Versionis Vulgatæ emendationem Pontificii debent.

§. 1 *Capi beneficium potest etiam ab inimico.*

§. 2. *Versionis Biblicæ à B. Luthero adornatæ nitor & præstantia.*

§. 3. *Versio Vulgata longe impurior & minus emendata ante Lutheri tempora. Specimen barbarismorum & solœcismorum Vulgatæ collectorum ab* Ægidio Hunnio, *quæ frustra defendere conatus est* Albertus Gentilis.

§. 4 *Errores* ἑρμηνευτικοὶ *in Vulgata.*

§. 5. *Emendationem Vulgatæ æmulatione Bibliorum Lutheri decernunt Patres* Tridentini, *probata interim* Isidori Clarii *editione, qui 8000. mendas se sustulisse fatetur plurimis relictis. Cura* Sixti V. *in Vulgata emendanda.*

§. 6.

§. 6. *Bulla* Sixti V. *Bibliis præfixa* integra exhibetur.

§. 7. *Post Sixtum* Clemens VIII. *errores 2000. in Vulgata deprehendit easq; corrigit. Bellum Papale inter editiones Sixti V. & Clementis VIII.*

§. 8. *Fatetur* Clemens VIII. *non omnia emendata se dedisse. Varii scriptores Pontificii, qui mendas plurimas in Vulgata post editionem Clementis VIII. agnoscunt.*

§. I.

PLus sæpe beneficii ab inimicis, quam ex amicis ad nos redundare, nescio, quis veterum sed sapienter dixit & integro libro demonstravit *Plutarchus* πῶς ἄν τις τῶν ἐχθρῶν ὠφελεῖτο. Amicis quippe affectus suus glaucoma objicit, ut vitia nostra aut minora putent, aut planè non videant: Illi verò, qui maligno nostram fortunam intuentur animo, aquilinis aut serpentinis oculis acerrimè omnia perlustrant, neque aut dictum, aut factum aliquod nostrum, quod non ad accuratissimam virtutis normam exactum, illos facilè effugerit. Ab his, qui humana quâdam imbecillitate domi ferè cœcutimus, discere possumus, nobis quod ex usu siet. Id si attendere vellent Papæ adulatores, mitius utique insanirent contra Lutherum nostrum, (quem præter meritum hostem suum vocant, nisi is hostis nomine veniat, qui æternæ felicitati tuæ studet,) cui tot errorum suorum notitiam debent. Sed beneficia ejusmodi, quia tristem habent frontem, & ab injuria videntur esse, acerba plerumque sunt occupatis animis. Nos igitur omissis his, quæ illi pestilenti æternumque exitiosa occultant malitiâ aut invidiâ, adeò ut accepisse nollent, de quibus hoc die, *quo per DEI gratiam Reformationis recolimus beneficia, horis antemeridianis è suggestu Lutheri Ecclesiastico* plura diximus. Saltem de iis Theandri nostri meritis *è cathedra B. Viri Academica* disseramus, quæ ne illi quidem diffiteri audent.

§. II.

Hôc animo cum simus, diu utique non deliberandum, quodnam primo quod ultimo loco commemorandum nobis sit. Bibliorum enim translatio tàm nitida, tam accurata (quam & ob conformitatem cum Hebraica veritate laudat ipse *Richardus Simon* Congreg. Orat. Presb. *in Catalogo præcipuar. Edit. Biblicar.* suffixo *Hist. Criticæ* V. T. p. m. 142.) divinum plane opus, (videsis *B. Matthesii* de Vita Lutheri Conc. XIV. p. 154. seq. & *B. Gerhardi* Confess. Cathol. p. 450. 454. *B. Mülleri* Lutheri Defensi cap. XX. Scripsimus

& nos quædam in vindiciarum Verſionis hujus uſum, adverſus impias Lojolitarum inſtantias im Reiſenden Lutheraner ins Pabſtthum p. 358. ſeqq. plurima in *Hiſtoria Verſionis Biblicæ Lutheri* ad prælum à nobis jam parata) tantum reliqua tanti Viri merita antecellit, quantum cœleſtia præſtant humanis.

§. III.

Hujus æmulatione accenſi Tridentini patres (an vitrici? quia ipſis Eccleſia noverca fuit) de publica emendatione Verſionis Latinæ, quam Vulgatam vocant, conſilia inierunt; id quod nemo veſtrûm, ô Monachi! negare auſit, niſi qui plane frontem perfricuit, pudorem perdidit. Veſtram, cucullati, teſtor conſcientiam, annon innumeris ferè Solœciſmis, Barbariſmis, vitiis etiam grammaticalibus, quæ ferulam Orbilii mererentur, longeque pluribus pſeudhermeniis inſulſiſſimis & turbatis lectionibus ſcatuerint ac propemodum obſoleverint Biblia veſtra Latina, antequam Lutherus elegantiſſima ſua verſione veſtris hominibus pudorem injiceret. Tam lutulenta certè oratio fluxit, tantas ſordes ſecum traxit, quibus expurgandis Hercule ex Augiæ ſtabulo opus fuiſſet, niſi in ejus vicem duo Pontifices Romani ſucceſſiſſent, de quibus mox dicam. Vix certè epiſtolæ obſcurorum virorum, in quas tamen velut in ſentinam data opera tot ſeculorum ſordes vel *Eraſmi*, aut *Reuchlini* aut *Hutteni* miniſterio (vide *Majum* notis ad Reuchlini vitam p. 423. ſeqq. *Joſ. Simlerum in vita Bulingeri p. 6.*) confluxêre, turbidius manant. Accipite ſpecimen, argumentum volo illud Scholaſticum, quod *B. Hunnius* in Exam. Contr. I. Gen. de V. D. lib. II. c. 14. ſtylo vulgatæ compoſuit: *Deus (Jacob. 1.) intentator eſt malorum, odivit (Pſ. 25.) enim impios & non (Joan. 4.) coutitur illis; memoratur (Luc. 1.) autem piorum. Ergo vos, ô ignavæ (Luc. 23. ventres, quæ &c.) ventres, Monachi, qui ſub capitio (Exod. 25.) eſtis interraſiles, (Exod. 25.) & oleati, (Num. 11.) attendite. Vos appareſcitis (4. Eſd. 7.) quidem deforis (Gen. 7.) ſancti & docti, ſed ab (Pſ. 45.) intus eſtis indocti, & infruniti: (Eccleſ. 43.) & nota eſt veſtra ineruditio (Eccleſ. 4.) & malitia, quam docet vos ocioſitas. (Eccleſ. 33.) Scopite (Pſ. 77.) a. Spiritum veſtrum, & pœnitemini, (Act. 3.) odite (Pſ. 96.) malum, deſinite (Eccleſ. 28.) inimicari, & ceſſate Evangelium oppugnare gratis, (Pſ. 118.) nec angariate (Matth. 5.) Lutheranos ad falſam doctrinam veſtram: ſed meliora (Joh. 14.) horum facite, quæ feciſtis, ut fructum plus (Joan. 5.) afferatis, & impleamini (Matth. 22.) bonorum. Aliàs ſurget Deus, & ſagittas ſuas ardentibus (Pſ. 7.) efficiet, & ſcopabit (Eſa. 14.) vos in ſcopaterens. Tunc partibuntur (Pſ. 59.) famelici milites ſubſtantiam veſtram, & inſuſpicabiles (Eccleſ. 25.) viri metibuntur (Pſ. 59.) agros veſtros, & quod reliquum eſt in monaſterio conſummabunt. (Luc. 15.) Vos autem benè (Zach. 13.) plagati ſtabitis foras (Act. 16.) portam, quaſi*

quasi crapulati (Psal.77.) à vino, & aporiati, (Esa.59.) & extunc (Psal.92.) insubsidiati (3. Esdr.9.) & inauxiliati (Sap.12.) pulsabitis per (Act.10.) ter, in idipsum. (Psal.121.) Non intromissi murmurabimini, (Exod.16.) & curretis passus mille & alia (Matth. 5.) duo. Sic exclusi manicabitis (Luc.24.) in magno frigore ad Papam, & dicetis illi: Sanctissime Pater, viri abominati (Tit.1.) & incredibiles (ibid.) emigrarunt (Psal.51) nos ex monasteriis nostris. Tunc papa dicet: Dilecti filii, vos ô creaturæ meæ: qui (Gen.50.) in præsentiarum (1.Tim.1.) naufragavistis, estote patientes, neque zelate (Psal.36.) ipsos, qui enim me confusus (Marc.8.) fuerit, & ego confundar (ibid.) & iterum nocebo (Act.7.) illum. Veruntamen introite jam in culinam, ut calefaciamini. (Jacob.2.) Sed hoc sermone non consolabimini, (Matth.5.) nec continget vobis longiturnitas, (Baruch. 6.) sed unà cum Papa dejiciemini in profundum (Esa.14.) loci, ubi vermis infernalis elinget (Baruch.6.) corda vestra.

Sed & Monachæ vestræ, cur neque nubunt (Matth.12.) neque nubuntur. Superspernant (Psal.118.) quidem illæ in operibus suis, & appretiant (Zach.11.) ea pretio magno: Sed Deus illis non promeretur (Hebr.13.) Superbæ sunt, & linguatæ (Eccles.25.) & indisciplinatæ, (Eccles.7.) nec dominantur (Psal.10.) affectuum suorum; ideo fient in deminoratione, (Eccles.22.) propter nimietatem (Sap.4.) superbiæ suæ. Non memorantur (Luc.1.) quod Deus odivit superbos, & recipit humiles. Sicut Davidem de post fœtantes (Psal.77.) accepit & fecit Regem populi sui. Nam humiles propter suam humilitatem non minorabunt (2. Cor.8.) Quis has veneres videns non tussiat? *Albericus Gentilis* itaque *vix septem Anticyris caput expugnabile gestat*, qui, in dissertatione ad Robertum filium *de latinitate Veteris Bibliorum versionis* male accusata Hanov. 1606. 8vo adversus *Hunnium, Bezam & Erasmum* aliosque, qui passim vestrum interpretem barbariei accusaverant, Patrocinium fœditatis istius suscipere ausus fuit, cautiam interierens, exstare similia locutionum exempla in probatæ notæ autoribus.

§. IV.

Sed objiciat aliquis, infra majestatem Romani Pontificis esse Grammaticæ ferulis (conf. ex *Platina Aventino, Volaterrano B. Zeamannum* in Apol. Art. XVI. Uncatholischen Pabstthums cap. III. p. m. 719. & *B. Dorschæum* Anti-Kircheri p. 73. seqq.) manum subjicere? Saltem errores Theologici & ἑρμηνευτικοὶ (quos collegit *Joh. Gerhardus* lib. 2. Confess. Cathol. p. 138 seqq. 155. seq. *Salomon Glassius* Philolog. Sacræ p. 141. seq. *Abraham Calovius* Critici S. p. 353. seq. *Christ. Kortholdus* de variis Bibliorum editionibus cap. XII. XIII. XIV. *Guil. Whitaker.* de Scriptura p. 140. sq. *Thomas Gatakerus* Adversarior. cap. 39. *Sixtinus Amama* in AntiBarbaro Biblico, *Dan. Chamier* Panstratiæ

ſtratiæ Catholicæ Tom. I. Lib. XIV. c. 11. 12. 13.) tollendi erant. Nemo verò Eccleſiæ juſſu, ante Lutherum manum admovebat, nemo Camarinam hanc ſollicitare volebat.

§. V.

Tandem noſtræ Verſionis æmulatione impulſi Patres Conciliabuli Tridentini Emendationem Bibliorum decreverunt, authentica interim pronuntiata vulgata editione, qualis tum extabat ex editione *Iſidori Clarii*, qui octo millia mendarum ſe ſuſtuliſſe profitetur, plurimis relictis. Suſcepit deinde hanc operam in ſe Sixtus V. Romanus Pontifex, nulliqúe labori pepercit, ut maculas has elueret. Diligentiam iſtam laudat *Angelus Roccha à Camerino* in Bibliothecæ Vaticanæ Cameris quas ſecretiores vocant p. 228. *Quarta quæ ſequitur inſcriptio, ingentem indicat curam & verè Pontificiam, quam Sixtus V. toto ſuſcepit conatu pro Bibliis vulgatæ editionis emendandis & imprimendis, juxta Concilii Tridentini præſcriptum. Quâ in re præſtanda tot ac tantos die noctuque perpeſſus eſt labores, quantos nemo unquam verbis exprimere poſſet, ut mihi perſuadeo, qui hujus generis labores re ipsâ videns non ſemel tanquam oculatus teſtis obſtupui. Univerſa enim Biblia, antequam prelo committerentur, ad verbum perlegit, etiamſi quotidie in omnes totius Chriſtiani orbis curas, & graviſſimas quidem, totus incumberet. Sic igitur paginam perlegit univerſam & emendavit: atque ita ut omnes ſacri codices juxta ejusdem Concilii decretum cum omnibus ſuis partibus legantur, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur. Nec eô contentus, univerſa item Biblia ſic emendata & recenter impreſſa de integro perlegit, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent, quam rem inſcriptio, quæ infra legitur, apertis hiſce verbis breviter patefacit:* SACRAM PAGINAM EX CONCILII TRIDENTINI PRÆSCRIPTO QVAM EMENDATISSIMAM DIVULGARI MANDAVIT.

§. VI.

Deſcribit ipſe Sixtus V. in bulla Bibliis ſuis præfixa, quam cum in poſterioribus editionibus fruſtra quæras rariorque ſit, multum autem ad confundendos veritatis Evangelicæ adverſarios conducat, illam hic dabimus integram:

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ÆTernus ille cœleſtium, terreſtriumque rerum omnium conditor ac moderator Deus, Eccleſiam ſanctam veluti deliciarum Paradiſum, ſua ipſemet dextera, tanquam providus Agricola, variis plantis, ſtirpibusque mirificè conſe-

sevit, simulque uberrimo sacrarum eandem scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis, in universum terrarum orbem diffusis, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quæ sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita à tribus illis potissimum enunciarentur linguis, quæ in omnium auribus nationum maximè percrebuerunt, nec non sanctissimæ crucis titulo consecratæ, Salvatoris nostri Regnum, Hebræis, Græcis ac Latinis literis prædicarunt, callidissimus, ac nequissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut cœlestem divini verbi sementem, quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret, id verò præcipuè omni conatu, ac machinatione tentavit, ut sacrorum quædam corruptissimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in Hæreticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec planè laudabile studium, & quasi libido Scripturas latinè interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos licèt nihil tale cogitantes, ex hac ipsa tam incerta ac multiplici versionum diversitate & varietate sumpta occasione, sic miscere omnia, atque in dubium revocare, & si fieri posset, rem eò perducere contendit, ut dum scripturarum verbis diversi interpretes aliam atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati, ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc seculo valde timendum fuerit, ne in priscum illud editionum chaos rediremus, de quo B. Hieronymus *inquit: Apud Latinos tot sunt exemplaria quot Codices: & unusquisque pro arbitrio suo addidit vel subtraxit, quod ei visum est; & utique non potest verum esse, quod dissonat. Itidemque sanctus* Augustinus *dixit, Latinos Scripturarum interpretes nullo modo numerari posse. Ut enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo sacrosancta Tridentina Synodus mederi cupiens statuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum Latinis editionibus, ipsa Vetus, ac Vulgata, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Hæc autem vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodammodo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut Veterum Codicum, aut sanctorum Patrum invexisset auctoritas, plurimæ nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel*

ex impressorum imperitia, vel ex temerè emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia, qui Ecclesiæ filii cum sint, minus tamen Ecclesiæ Doctoribus, quàm Judæorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt: vel demum ex hæreticorum scholiis ad marginem captiosisque fallaciis obrepserant. Et quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit, quod fidei & morum causis tenebras offundere potuerit; verendum tamen fuit, ne crescente magis, ac magis in dies addendi, detrahendique temeritate, hæc probatissima scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contra schismatis & hæresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quæstionum, discordiarum seges & piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in LXX. interpretum Græca editione beatus Hieronymus, *in Latina vero sanctus* Augustinus *olim accidisse commemorant; tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem œcumenica Synodus Tridentina decrevit ut hæc ipsa Vetus & Vulgata editio posthac quàm emendatissime imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus Editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius qua germana esset lectio nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tanquam validissimus mucro districtus fuerat, idem & clypeus fieri posset, quo debilitati jam, cæsique hostis latera tegerentur. Id igitur nos indignè ferentes, eoque indignius, quod per hosce jam viginti duos annos qui à dicto Tridentini concilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando cœptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quanto magis & ab omnibus Dei Ecclesiis expetitur, & à Synagogis Satanæ reformidatur; cum primum ad Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio meritis licet imparibus evocavit, nihil tandem antiquius habuimus, quam ut primo quoque tempore optatissimam istam Vulgatæ editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui sanctarum Scripturarum, sacræ Theologiæ, multarumque linguarum scientia ac diuturno variarum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, judicio, ac solertia præstarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in Germanica sinceraque sacri textus editione perquirenda, strenue laborarent, nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac proinde considerantes, ex præcipuo ac singulari Dei privilegio, & ex vera & legitima successione Apostolorum Principis B. Petri pro quo Dominus ac Redemptor noster, ab æterno patre pro sua reverentia*

tia procul dubio exauditus, non semel tantum, sed semper rogavit ut ejus fides, non humana carne, & sangvine, sed eodem Patre inspirante ei revelata, nunquam deficeret: cui etiam Dominus injunxit ut cæteros Apostolos in eadem fide confirmaret: qui denique, sicuti confidimus, divinam pro nobis opem usque ad consummationem seculi, Ecclesiæ Catholicæ promissam, implorare non cessat, ad nos in ejusdem Petri cathedra, in qua ejus vivit potestas, & excellit auctoritas, Deo sic disponente constitutos, totum hoc judicium propriè ac specialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato, & ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctæ Dei Ecclesiæ utilitatem haudquaquam gravati sumus, inter alias Pontificiæ solicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, sanctorum Doctorum sententias recognoscere: quæ quibus anteferenda essent, dijudicare, adeo, ut in hoc laboriosissimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit, in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: ita tamen, ut veterem multis in Ecclesia ab hinc seculis receptam lectionem omninò retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apostolico Vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnifice extruximus, atque ad ejus curam, congregationem aliquot sanctæ Ro. Ecclesiæ Cardinalium, & insigne Collegium doctissimorum virorum ferè ex omnibus Christiani orbis nationibus, & celeberrimis studiorum Generalium universitatibus, amplis, opulentisque reditibus donatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eaque res quo magis incorruptè perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua prælo vitia obrepserant, & quæ confusa, aut facile confundi posse videbantur, ea intervallo scripturæ, ac majoribus notis, & interpunctione distinximus. Cæterùm, nostri ne hujus consilii institutique rationes ignorentur, sed potius universæ Ecclesiæ Catholicæ, ipsique posteritati notissimæ, ac testatissimæ relinquantur, cunctique facile intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quæ lex, ac methodus inita, quæ indagandi veri norma à nobis servata sit: illud sane omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias nunquam eo spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto, emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu stylòque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. In hac autem Germani textus pervestigatione, satis perspicuè inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quàm antiquorum, probatorumque Codicum Latinorum fidem, quos tam impressos,

quam manuscriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo, tanquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus. Id verò ad germanam editionem constabiliendam, præsidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum Patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca, & libros illustrarunt, subsidio fuere: in quibus, quidquid è re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum. In iis tandem, quæ neque Codicum neque Doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quæ cum apud Latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti certum aliquid, atque indubitatum sufficeretur, sive ut, quod apud nos variantibus Codicibus inconstans, diversum ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi, ipsorum fontium veritate perspecta, sanciretur. Sapienter enim B. Hieronymus, *in explanandis sacris scripturis Doctor maximus, admonebat, ut quemadmodum in novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, ad fontem Græci Sermonis, quo novum Testamentum est scriptum, recurri solet: ita si quando inter Græcos, Latinosque diversitas est in veteri Testamento, tunc ad Hebræam recurramus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis: quod etiam B.* Augustinus *iis, qui scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque sanctorum Patrum consuetudinem religiosè secuti sumus, dum in iis, quæ apud Latinos nimis ambigue dicta, seu variata habentur, Hebræa Græcaque linguæ fidem, & codices inspeximus; sed, ne id licentius fieret quam æquum erat, solens cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque Latinæ hujus editionis voces, ac locutiones propriè aut eleganter, aut perspicuè, aut breviter, aut copiosè magis, aut tanquam verbis ad verba demensis, à Latino interprete verti potuisse existiment. Verum de his minuta nimium & angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis & antiquioris Ecclesiæ religio, & sanctissimorum Patrum jure anteponatur auctoritas: prorsusque indignum est, B* Gregorio *teste, ut sub Donati regulis verba cœlestis oraculi restringantur: ac tanta per se est Vulgatæ editionis auctoritas, tamque excellens præstantia, ut majorem desiderare, penitus inane videatur. Qui namque in ea libri continentur (ut à majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi & antiquissima quadam editione Latina, quam Sanctus* Hieronymus *Vulgatam editionem, B.* Augustinus *Italam, Sanctus* Gregorius *veterem translationem appellant,*

pellant, quam sanctus itidem Augustinus cæteris, quæ tunc plurimæ in usu erant, etiam præferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ; partim ex sancti Hieronymi *translatione adsciti fuere, quibus idcirco quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum interpretis dignitatem agnoscit. Fuit enim sanctus* Hieronymus (*ut inter cæteros idem* B Augustinus *testatur*) *Græco, Latino & Hebræo eruditus eloquio, & ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, literisque sacris, ad decrepitam usque vixit ætatem: atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina Ecclesiastica scripserant, pene vidit, aut legit: eumque non modo* Augustinus, Chromatius, Paulinus *cæterique sanctissimi Episcopi, sed etiam* Damasus *Pontifex Rom. de Scripturarum locis consulebant. Nec immeritò tantam apud omnes nominis celebritatem, in sanctarum præsertim Scripturarum scientia, adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, & doctissimos quosque in Gallia audiverit:* Constantinopoli Gregorium Nazianzenum, Alexandriæ Didymum, *& alios, alibi conquisiverit, usus denique clarissimis Hebrææ lingvæ Magistris: non enim uno aliquo doctore contentus fuit, sed plurimos, eosque eruditissimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quinimo & loca ipsa, quæ in scripturis sæpe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam scripturarum summopere sibi profuisse testatur. Quicunque igitur tanti interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, Magistros, labores, illud in quo vixit seculum, cum linguarum omnium, ac præsertim Hebrææ, studia florerent, diligenter spectaverint; facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, aut etiam meliora, seu paria præstare se posse confidunt. Multo sanè rectius sanctus* Isidorus, *venerabilis* Beda *Presbyter, sanctus* Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus, Maurus, *sanctus* Anselmus, *B.* Bernardus, Haymo, Richardus, *&* Hugo Victorini, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas, *aliique complures egregii doctores, qui per mille ab hinc annos in Ecclesia claruerunt, qui* Hieronymi *versione ita in omnibus disputationibus, enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut cætera, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsa de Catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideoque legimus apud sanctum* Isidorum *quoniam de Hebræo in Latinum eloquium sanctus tantummodo* Hieronymus *sacras scripturas convertit, ejus editione generaliter omnes Ecclesias usque quaque uti, eo quod veracior est in sententiis & clarior in verbis. Et ante* Isidorum *B.* Gregorius Magnus *fere idem senserat. Nec Latini modo Patres, sed Hebræi quoque, Græcique cum Latinos alios interpretes negligant, aut ignorent,* Hieronymum

mum *tamen amplissimo suo testimonio & honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebræis idem* Augustinus: *de Græcis autem ipsemet sanctus* Hieronymus *scribit, à Sophronio viro optime erudito Psalterium, & Prophetas, quos Hieronymus ex Hebræo in Latinum verterat, in Græcum eleganti sermone translatos fuisse. Quemadmodum ergo laudabile est, ubicunque nostri codices ipsi per se aut conciliari aut intelligi non possunt, linguarum externarum præsidia quærere; ita, cum id necessarium non est, levissimis de causis majorum nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum vetustissimamque Ecclesiæ consuetudinem non vereri, temeritas plane, pertinaciaque censenda est. Atque idcirco B.* Hieronymus, *qui Hebræos, Græcosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet; idem etiam sentit, eo non nisi parce & quanto rarius fieri potest (ne, quæ longo recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Quæ de causa ad novi Testamenti translationem, quamvis hortante* Damaso *Pontifice tardior fuit, pium appellans laborem, sed periculosam præsumtionem judicare de cæteris, ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam, & canescentem jam mundum in initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus; cum in manus volumen sumpserit, & à saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem falsarium illum clamitans, & sacrilegum, qui audeat in veteribus literis addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Jonæ cucurbita, quæ in veteri editione legebatur; pro qua cùm* Hieronymus *hederam posuisset, quodam in Africa Episcopo interpretationem* Hieronymi *in Ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus in plebe propter unius verbi dissonantiam, ut coactus sit Episcopus, ne sacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare meritò sacra Tridentina Synodus veteris Vulgatæ editionis libros non aliter, quam prout in Ecclesia legi consueverunt, pro canonicis suscipiendos decrevit. Nos autem ut hæc Vetus editio, quæ nunc prodit nostro excusa prælo, ejusdem Synodi præscripto modis omnibus responderet, non solum veteres, & ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam Apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium & quartum* Esdræ *libros inscriptos, & tertium* Machabæorum, *quos Synodus inter canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc prædictis Cardinalibus Congregationis super Typographia Vaticana deputatæ, ab hac editione prorsus explosimus: Orationem etiam* Manassæ, *quæ neque in Hebræo, neque in Græco textu est, neque in antiquioribus manuscriptis latinis exemplaribus reperitur, sed in impressis tantum post librum secundum* Paralipomenon *affixa est, tanquam insutam, adjectam, & in textu sacrorum librorum locum non habentem, repudiavimus. Nonnullas etiam aliquando sententias, quæ aliunde accersitæ,*

sitæ, Vulgatæ editioni interpositæ erant, neque in antiquis exemplaribus, neque in sanctorum Patrum Commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem à variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accurate emendavimus, & purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque vero est quod quisquam miretur, si aliqua sacræ scripturæ loca aliter in sanctis quibusdam doctoribus legerit, quam in hac editione conscripta sunt. Nam Ambrosius, Augustinus, *& alii plurimi septuaginta interpretum editionem plerumque secuti fuerunt. Ad laudem igitur & Gloriam omnipotentis Dei, Catholicæ fidei conservationem, & incrementum, ac sacrosanctæ universalis Ecclesiæ utilitatem, hac nostra perpetuo valitura constitutione, de eorundem venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super Typographia Vaticana deputatorum consilio & assensu, quorum opera & industria, in hac ipsa Vulgatæ editionis emendatione, in rebus præsertim gravioribus usi sumus, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam sacræ, tam veteris quam Novi Testamenti paginæ Latinam Editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione aut controversia, censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam in universa Christiana republica atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali sanctæ Ecclesiæ, ac sanctorum Patrum consensione, deinde verò generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apostolica nobis à Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera legitima, authentica, & indubitata, in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus & explanationibus recipiendam, & tenendam esse. Districtius vero inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus novæ Vulgatæ editionis posthac Bibliorum, sine expressa Apostolicæ sedis licentia, textus imprimatur: neve quisquam privato, aut peculiari suo sensu aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam veterem Vulgatam à nobis, ut præfertur, restitutam editionem, intra decem annos à datis præsentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi, quam in nostra Typographia Vaticana, imprimere audeat vel præsumat. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo sanctas Scripturas typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, eodemque inquisitoris hæreticæ pravitatis ejus Provinciæ, vel, si inquisitor in ea Provincia non sit deputatus, Episcopi ejusdem loci manu propria subscripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Postquam vero libri sacri sic fideliter excusi fuerint, nec tunc quidem*

dem vendantur, aut evulgentur, nisi prius delato rursus ad Inquisitorem, vel deficiente Inquisitore, ad Episcopum exemplari ab eis antea subscripto, iidem libri juxta illud impressi, cum eo diligenter, & accuratè collati, & Inquisitoris, vel in eventum prædictum, Episcopi signo, aut chirographo quod inter se prorsus concordent fidem faciente, & attestante, approbati extiterint. Verum quoniam ex variis, quæ hactenus ad marginem adscribi consueverant, lectionibus illud sequitur incommodi, ac molestiæ, quod, cum primum hujusmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno plane tempore ad ea, quæ in Codicibus dissonant, inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate Scripturas inoffenso pede percurrere, & ea quasi Sylva diversitatis oblata, quæ, quibus præponenda sint, internoscere; Nos optimum factu, piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiæ filii ab his perplexitatibus, ejusdem Ecclesiæ judicio, liberentur, utique eos, quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio Scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem spiritus copulare; Auctoritate & tenore præmissis mandamus, ut Vulgatæ editionis Biblia posthac nonnisi uniformia imprimantur, nec aliquid à textu diversum in margine scribatur. Quæ vero antehac quibuscunque in locis impressa sunt, juxta hunc nostrum textum ad verbum & ad literam corrigantur. Idque tam impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis, Beatæ Mariæ Virginis Psalteriis, Ritualibus, Pontificialibus, Ceremonialibus & aliis Ecclesiasticis libris, quoad eas tantum Scripturæ lectiones & verba quæ ex vulgata editione sumta, atque in eisdem libris inserta fuisse constat, ubique servetur. Si quis autem Typographus in quibuscunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ, & S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quàm non subjectis, Biblia sacramque scripturam intra decennium prædictum quoquo modo; lapso autem decennio aliter quam juxta hujusmodi exemplar ab inquisitore, seu, in ejus defectu, ab Episcopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata addita vel detracta, ad marginem, vel in textu adscripta, etiam per modum scholiorum, annotationum vel glossæ, typis mandare, aut sic quidem codices impressos & emendatos, sine tamen dicto signo, & attestatione, quod cum priori exemplari, sibi ut præfertur traditio, concordent, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut si quis Bibliopola à se, vel ab aliis quibusvis, etiam ad hanc usque idem, vel in futurum, ante vel post Dat. præsentium literarum impressos libros, seu imprimendos, à præfata per nos restituta & correcta editione in aliquo discrepantes, vel juxta eam adunguem non emendatos, ac simili inquisitoris, seu Episcopi, subscri-

scriptione non approbatos, seu cum additionibus aut variis lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit; is qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostræ huic constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum & alias temporales arbitrio infligendas pœnas, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurret, à qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam pro tempore existente Rom. Pontifice absolvi non possit. Quod si Inquisitor, aut Episcopus aliud exemplar ab eo, quod in Vaticana Typographia impressum est, quoquo modo discordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impressum suo signo, aut subscriptione approbaverit, quod revera ab eo discordet; In eum, si Antistes fuerit, etiamsi Archi-Episcopali, Primatali, Patriarchali, vel alia majori præfulgeat dignitate, interdicti ingressus Ecclesiæ, si autem inferior excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam ex nunc per præsentes ferimus, ita ut ab alio, quam Rom. Pontifice absolutionis aut relaxationis beneficium consequi neqveat. Et nihilominus tam Inquisitor seu Episcopus ipse, qui hujusmodi libros à præfata impressione Vaticana differentes approbaverit, quam etiam Typographus, s. Bibliopola, qui nostris superius expressis præceptis ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in congregatione Cardinalium Sanctæ Romanæ, & universalis inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pro tempore deputatorum, se coram judice, vel judicibus ab eadem congregatione delegatis, de hujusmodi facto in districto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpæ severis pœnis ejusdem congregationis seu judicis, vel judicum ab ea deputandorum arbitrio puniatur. Cæterum si manuscripta, vel impressa Biblia hujus etiam vulgatæ editionis, ob characterum venustatem, seu ob aliquod insigne codicis ornamentum, sive ob impressionis præstantiam, vel ob notationes ad marginem scriptas asservantur, & juxta nostrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quæ huic nostræ editioni non consenserint, nullam in posterum fidem nullamque auctoritatem habitura esse decernimus, ac declaramus: mandantes universis, & Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis cæterisque Ecclesiarum, & locorum etiam regularium Prælatis, per universum orbem constitutis ut præsentem constitutionem in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus & Jurisdictionibus, curent perpetuo, firmiter & inviolatè ab omnibus observari, contradictores & inobedientes per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, atque in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus, consiliis editis, nec non quarumcunque Ecclesiarum,

ordinum, congregationum, Collegiorum atque universitatum etiam studiorum generalium, juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore, pacifice observatis privilegiis quod̃, indultis & literis Apostolicis, illis, eorum̃ vel earum Prælatis, Superioribus, & personis per quoscunq̃, Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam motu proprio & ex certa scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine & alias sub quibuscunq̃ tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & in solitis clausulis irritantibusque & decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, & sæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi de consensu certarum personarum, vel nisi sub certis modo & forma inibi expressis derogari possit & aliàs factæ derogationes nullæ sint ex ipso ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret. Tenores hujusmodi pro expressis habentes ad effectum præsentium duntaxat derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus præmissa in aliquo suffragari; aut, si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem præsentes literas in valvis Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Orbe, & Cancellariæ Apostolicæ de more publicare, & intra quatuor menses, eos, qui citra montes sunt; qui vero ultra montes, intra 8. menses à die publicationis hujusmodi numerandos, perinde arctare & afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent: Decernentes ut earum transsumptis etiam impressis, Notarii Publici manu subscriptis, ac sigillo Prælati Ecclesiastici obsignatis, eademque ubique habeatur fides, quæ ipsis originalibus exhibitis vel ostensis haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, Indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam, Anno incarnationis Dominicæ 1589. Kalendis Martii, Pontificatus nostri anno Quinto.

§ VII.

Et tamen Clemens VIII. quasi laurea corona munitus, fulmen hoc contempsit, atque ad 2000. alios errores ex ista versione censoria virgula ejecit,

ejecit, sed magno infallibilitatis Pontificiæ periculo passim probans contradictoria, uti Jos. XI. 9. Sixtus *civitas quæ se non traderet*, Clemens *quæ se traderet*. 3. Reg. VII. 9. Sixtus *intrinsecus* Clemens *extrinsecus*. Habac. I. 13. Sixtus *quare respicit*. Clemens *quare non respicit*. Sir. XXI. 15. Sixtus *insipientiam* Clemens *sapientiam*. Transigant inter se sanctissimi Patres, uter mundum deceperit. An Sixtus? qui versionem suam sub excommunicationis pœna omnibus numeris absolutam adseruit, an Clemens? qui tot errores in Sixtino opere reliquos ostendit; utrique sane, censente *Abrahamo Bzovio cap. 14. de Rom. Pontif.* privilegio, non falli nec fallere scire, sunt gavisi. Adde his, quæ scripsimus, *Thomæ Jamesii* novi Collegii alma Academia Oxonienſi socii, & utriusque Academiæ in Artibus Magistri, BELLUM PAPALE *sive Concordiam discordem Sixti V. & Clementis Octavi circa Hieronymianam editionem.*

§. VIII.

Neque sic tamen puritati pristinæ Versio reddita est. Confitetur id *Præfatio ad Lectorem* Clementinæ emendationi præmissa (quam Cardinali *Bellarmino* tribuit *Corn. à Lapide* in Threnos f. m. 828.) *Accipe igitur, Christiane Lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, Hebræis Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum Commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.* Integrum jam mihi sit provocare ad confessionem *Lucæ Brugensis* Decani Audomarensis, qui *catalogum* concinnavit *variarum lectionum, quo ponderato post geminam Sixti & Clementis VIII. expurgationem possit perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si Romani Pontificis accedat autoritas.* Idem nobiscum sensisse & *Bellarminum & Joannem Baptistam Bandinum* Præfectum Biblioth. Vaticanæ, *Simon Episcopius* Institut. Theologic. Lib. IV. c. XXI. sect. 1. f. 267. probat; quibus adde *Petrum Lopez* Lib. I. controversiar. & *Johannem Marianam* libro de Vulgata. Quid de *Natali Alexandro* dicemus, qui in *Triade Dissertat.* Paris. 1678. 8. edita postremam integram diatriben impendit Vulgatæ Versioni expendendæ, & quæstione sexta per duas & septuaginta paginas agit *de mendis à Clemente VIII. relictis quas Ecclesiæ autoritate corrigi fas esset.* Idem à *Fraſſenio* Lib. II. disquisit.

Biblicar. cap. 6. eam ob rem objurgatus, causam suam dixit & insigniter vindicavit in *Diss. Ecclesiastica & Anticritica adversus Claudium Frassen*, sive dissertationis Alexandrinæ de Vulgata Scripturæ S. versione vindiciis, Paris. 1682. 8. Neque diversum sentire manifestum est Monachos doctissimos Benedictinos Congregat. Ordinis S. Mauri, qui, operam suam inprimis collocante *Johanne Marcianæo*, Bibliothecam Divinam Hieronymi, sive genuinam ejus versionem Latinam V. T. ad Hebræos fontes concinnatam ex manuscriptis codicibus in dias luminis auras produxerunt, atque eo ipso non tantum innumeras vulgatæ hallucinationes, sed & errorem illorum, qui vulgatam hactenus pro pura sinceraque Hieronymiana translatione habuerant, luculenter prodiderunt. *Richardi Simonis* ingenuam de pluribus in Vulgata mendis superstitibus confessionem habes l. c. p. 139. seqq. & in Historia Critica N. T. Lib. II. c. 7. seqq. Tam oculatos hos homines Lutheri fecit studium Biblicum. Fatetur id non sine stomacho *Jacobus le Febure* Doctor Sorbonicus *in præfat. Versionis Vulgatæ Parisiensis editionis*.

Caput II.

Quod de Scriptura diligentius jam cogitent, majoriq; cum sollicitudine eam in subsidium vocent Pontificii Scriptores, Lutheri beneficium est.

§. 1. *Ante Lutherum non scriptura sed fere contortis Syllogismis & Sophisticis commentis fidem suam defenderunt Pontificii. Testimonium* Cornelii Mussi.

§. 2. Melchioris Cani.

§. 3. *A Nostratibus, quos* Scripturarios & Biblistas *vocant, coacti sunt scripturæ diligentiorem operam dare. Multitudo Commentariorum in scripturam à Jesuitis & Hispanis post Lutheri tempora editorum.*

§. 4. *Confessio ingenua* Alphonsi à Castro.

§. 1.

Quam lubricis & futilibus fundamentis usi fuerint ante Lutheri tempora Ecclesiæ Romanæ Doctores, quibus fidei suæ dogmata superstruerent, atque inædificarent, neminem ignorare patiuntur Scholasticorum prægrandia volumina, Thomistarum pariter, Scotistarumque, & quotquot fere illa ætate de rebus sacris disserere conati sunt. Dolent eo nomine Ecclesiæ vices publicè effusis lacrymis duo (ne plures jam commemorem) maxi-

maxima autoritate apud Pontificios viri. *Cornelius Mussus* Placentinus, ord. Minorum, mitra Episcopali Bipontina à Paulo III. ornatus, quem *Antonius Possevinus* in apparatu S. T. I. p. 356. *viri incredibili plane ingenii felicitate & continentia & pietate præditi* elogio mactat. Ita vero ille in commentariis ad Epistolam Romanis scriptam, editis Venetiis A. 1581. 4. ad caput VI. *Divinæ Scripturæ olim, proh dolor! quanto omnium damno negligebantur? Vigebat spinosa & molesta nescio quæ Theologia de instantibus, relationibus, quidditatibus, de formalitatibus, itemque hæc omnia syllogismis arte contortis, & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio quâ autoritate recipiuntur, eâ & refelli possunt, pertractabantur. Tota pene ætas in hominum decretis, quæ inter se pugnantia semper, nullo tempore concilianda, alunt perpetuam per secula litem, conterebantur. Is sublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro suis traditiunculis affingere sciret, pretiique pars erat glóriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alto supercilio inter mulierculas de sacris literis Philosophantes trutinabant. Juraverant universi divini verbi duces in Magistrorum verba. Hinc sexcentæ sectæ Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Baconistæ, Albertinistæ, Ægidiani, Alexandrei. ô scelus! Posthabebantur Evangelia, Epistolæ, Christiana Philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigide, non dicam insincerè.*

§. II.

Gemina hisce *Melchior Canus* Ord. Prædicatorum Episcopus Canariensis & primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim præfectus, Locor. Communium Libro VIII. p. 379. edit. Colon. 1605. 8. *Sed in omni oratione momento, Lector, eam me defendere Scholæ doctrinam, quæ sacrarum literarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse Scholæ doctrinam, quæ sub titulis Magisterii defendat, miseram etiam, atque haud scio an multo magis, quæ detracta Scripturæ Sacræ autoritate Syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur. Imo ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verum de his quæ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuisse in Schola Theologos quosdam adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis invalidisque* ratiunculis magnum *pondus rebus gravissimis detrahentes ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sunt, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philosophia quidem, sed fere puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si Diis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici sunt, nedum Theologi,*

qui Sophismatum feces in Scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemtum.

§. III.

Statim vero ac Lutherus noster panoplia cœlesti Scripturæ Sacræ armatus Pontificiorum levem armaturam profligavit, coacti & Papæi sunt meliora sibi arma comparare. *Scripturariorum* enim & *Biblistarum* (ita nostros milites contemtim appellant, inprimis *Valerianus Magnus* de Acatholicorum & Catholicorum regula credendi P. I. p. 32. P. 2. p. 187.) tot clamoribus compulsi sunt castra mutare, & vel inviti nostris armis uti. Scilicet ex *Martini Becani* Jesuitæ voto apud Alegambe Biblioth. Jesuiticæ p. 232. *pro Hæreticis* (sic Orthodoxos proterve nominat) *non solum orandum sed & studendum erat*, & in textu quidem Biblico, qui, ut *Valerianus M.* Capucinus l. c. confitetur, *muscas ipsis faciebat molestissimas.* Confer Jac. Gordoni Huntlæi Lojolitæ ingenuam confessionem, quod in Lutheranorum gratiam argumenta è sacro Codice desumta adhibere necesse habeant, Epitom. Controvers. c. XIV. num. 5. sed quid vetat ipsa ejus verba subjungere? *Probatio Ecclesiæ*, inquit, *quæ sumitur ex scripturis, cum contra hæreticos agimus, est argumentum ad hominem, & ex concessis. Sic ex Talmud Judæorum multa probamus contra Judæos, quia ipsi illud recipiunt ut Verbum Dei. Sed non propterea est Talmud fundamentum fidei nostræ, quia illud est argumentum ad hominem, & ex concessis duntaxat; ad eundem modum, quia hæretici fere omnes admittunt scripturas, & rejiciunt autoritatem Ecclesiæ, idcirco cum contra illos disputamus, probamus autoritatem Ecclesiæ ex Scripturis veluti ex concessis.* Quis vero non miretur insolitam uteri Romani fœcunditatem, qua post Lutheri tempora Scriptores Curiæ Romanæ ad elucidandam Scripturam S. animum summo studio applicuerunt, & tot commentarios (*Sotwellus* Lojolita ex solis Jesuitis propemodum trecentos commemorat, vide Indicem Bibliothecæ Jesuiticæ Biblicum. Ex solis Hispanis quingentos fere *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hispana) generarunt.

§. IV.

Agnoscit hoc beneficium, ingratissimus quamvis erga Orthodoxæ fidei professores quos hæreticorum nomine proscindit, *Alphonsus à Castro* lib. 1. adversus hæreses cap. 4. *Et hanc proh dolor hodie incursionem à Lutheranis patimur, quibus adeo frequens est Evangelium & Paulinæ Epistolæ, ut nihil aliud spirare videantur. Verum Deo immensæ agendæ sunt gratiæ, qui omnes has Ecclesiæ infestationes ad suam & Ecclesiæ gloriam vertit, quæ ictibus percussa ad meliora provehi cogitur. Nam hujusmodi hæreticorum causa factum est, ut relictis quibusdam nugis, quibus à trecentis annis hucusque homines*

mines sese dedêre, ad meliora studia se transtulerint. Quo fit ut multo plures viros doctos nunc Ecclesia possideat, quam à quadringentis retroactis annis usque habuerit. Sic namque quod præclare apud *Curtium* Alexander dixit, *fortuna belli artem quoque victos docet.* Quod reputans *Lycurgus* legem tulit, ne idem hostis sæpius impugnetur, notante *Plutarcho* in vita ejus, quo nomine & *Agesilaus* postmodum à Thebanis vulneratus reprehensus est, quod διδακτρον istud se dignum ab illis retulerit, quos invitos in bello exercuerit. A nobis ergo tantum abest, ut adversarios instituisse ad hanc artem pœniteat, ut omni potius obsecratione lectionem scripturæ ipsis commendemus, quam ipsi suis homibus non nisi diu multumque petita & anxie concessa (conf. hanc in rem *Nicolai de Maire* sanctuarium profanis occlusum) venia indulgent. Verentur nempe, tot exemplis edocti, (è quibus Jacobi Reihingii nunc allego) ne illi cognita causæ nostræ bonitate, in nostra castra sublatis vexillis agminatim transeant.

Caput III.

Quod quamplurimis versionibus Scripturæ Vernaculis hodie uti possunt Pontificii, B. Luthero in acceptis referre debent.

§. 1. *Pontificii exemplo Lutheri excitari se passi sunt ad scripturam in plures lingvas vernaculas transferendam.*

§. 2. *VERSIONES GERMANICÆ* Nicolai Crumbachi, *qui Evangelium Johannis* & Hieron. Emseri, *qui Novum Testamentum vertit, arans vitulâ Lutheri.*

§. 3. *Psalterium versum* à Joh. Pediano. *Versio Bibliorum* à Joh. Dietenbergio facta.

§. 4. *Psalterium translatum & expositum* à Carthusianis Coloniensibus. *De Versione* Joh. Eccii. *Utrum is etiam transtulerit Novum Test. ut videtur affirmare* Sixtus Senensis.

§. 5. *Versio* Casp. Ulenbergii. *Ubi etiam judicia de translationibus* Dietenbergii, Ecciique & *de inedita* Melchioris Brunii.

§. 6. Georgii Holzai *Evangelia & Epistolæ totius anni. De Bibliis Moguntinis judicium* B. Kortholti.

§. 7.

§. 7. *ITALICÆ VERSIONES* Malherbii & Brucciolii. Kortholtus *notatus.*

§. 8. Marmachani Florentii *versio* à Crowæo *memorata chimærica. Versio* Zachariæ Florentini *Dominicani.* Maximi Theophili Florentini *editio Novi Testamenti. Notatus* Hottingerus.

§. 9. *De versione Italica Bibliorum* Sixti V. *auspiciis* jam typis *excusa, sed mox suppressa.*

§. 10. *HUNGARICÆ VERSIONES* Georgii Kaldi, *& inedita* Stephani Aratoris, *sive* Szantonis.

§. 11. *GALLICÆ VERSIONES.* Lugdunensis *cum Caroli V. Imperat. privilegio.*

§. 12. Lovanienſium, *qui ararunt vitulâ* Olevitani & Calvini.

§. 13. Editio Lugdunensis *A. 1557.* Genevensia *Biblia passim exprimens.*

§. 14. *Versio* Renati Benedicti *à Facultate Parisiensi proscripta.*

§. 15. Franciſci Beſſæi *&* Frizonii.

§. 16. Jacobi Corvini.

§. 17. *Novum Testamentum* Franciſci Veroni.

§. 18. Michaëlis de Marolles.

§. 19. *Psalmi ex* Caroli Bretonii, Joh. Adami, Naveri, Conrarti, Gilberti, Baſtidiique & Antonii Godelli *Metaphraſibus.*

§. 20. *Novum Testamentum* Dionyſii Ameloti.

§. 21. *De versione Novi Test.* Montenſi & controverſiis ſuper ea motis.

§. 22. *De Verſione librorum N. T. per eosdem autores concinnata, & brevibus notis illuſtrata.*

§. 23. *Novum Testamentum Antonii* Godelli.

§. 24. Evangeliſtæ quatuor noviſſimè translati à Jeſuita Bohurio.

§. 1.

§. I.

ETiam de versionibus Biblicis vernaculis frequentius & majore cum cura adornandis, Lutheri potissimum exemplo excitatos cogitasse Pontificios, manifestum est, cum viderent, nec possent inficiari, quantum lumen Divinæ cognitionis translatione sua Dei beneficio Megalander accendisset: Quod tametsi perspicuis non paucorum ex iisdem confessionibus planum fecimus *in Historia Versionis Lutheri* prælo mox subjicienda, juvat tamen nunc hanc ipsam rem commemoratis plerisque, quarum notitia ad nos pervenit, vernaculis per Pontificios homines post B. Lutherum in lucem emissis scripturæ versionibus paulo lucidius demonstrare, initio facto à *Germanicis* librorum sacrorum translationibus post Lutherum in Ecclesia Pontificia concinnatis & editis.

§. II.

Eodem anno quo Lutherus Novum Testamentum Germanice interpretando ad umbilicum perduxerat, quod factum medio mense Martio anni 1522. *Nicolaus Crumbach* Lipsiæ Evangelium Johannis vulgavit hoc titulo: Evangelium Johannis des Göttlichen Cantzlers und geliebten Jüngers unsers Herrn JEsu Christi/durch den würdigen und hochgelahrten Herrn Nicolaum Krumbach/der Heil. Schrifft Licentiatum und Pfarrherrn zu Overfurth ins Deutsche gebracht / allen Christgläubigen Menschen nützlich und tröstlich zu lesen. Ab illo tempore Georgius Saxoniæ dux, cui constitutum erat Lutheri conatibus quaqua posset obsistere, frustra se N. T. versionem à Luthero adornatam prohibere ratus est, nisi in Laicorum usum aliam ab *Hieronymo Emsero* adornari curasset, quæ prima vice lucem adspexit Dresdæ 1527. Deinde Emsero fatis functo Tubing. 1532. Friburgi 1534. 8. &c. Cum in *historia versionis Lutheri* cap. 2. 3. & 7. de hac Emseriana translatione pluribus dictum sit, hoc loco actum non agemus, id duntaxat observantes, quod non institutum duntaxat libros sacros Germanicè transferendi, sed & ipsam magna ex parte versionem Emserus Luthero debuerit. Unde Lutherus hoc ridens in Epistola de interpretatione Wanne / inquit, lieben Kinder/wie geschah mir da so wehe/ da sein Landsfürst mit einer greulichen Vorrede verdamte und verbot des Luthers Neu Testament zu lesen/ doch daneben gebot/des Sudlers Neu Testament zu lesen / welches doch eben dasselbige ist/ das der Luther gemacht hat.

§. III.

A. 1532. Coloniæ Psalterium Germanico idiomate ex vulgato Latino redditum exposuit *Johannes Pedianus*. Der rechte alte Psalter / wie ihn die Apostel und die heilige Kirche bißher gelesen haben/mit Summarien und al-

ler dunckler Oerter kurtzer Erklärung / viel anders und gewisser denn ihn der Luther und andere neugelehrte aus dem Psalter / so die Jüden mitler Zeit unter Hand gehabt / neulich gemacht haben. A. 1534. *Joh. Dietenbergius* universum Bibliorum corpus Germanice redditum edidit obtulitque *Alberto Moguntino Electori.* In qua versione nihil aliud feciſſe videtur Dietenbergius linguarum Ebraicæ & Græcæ, ut ipſe teſtatur, imperitus, quàm ut Lutheri verſionem idiotiſmis Bavaricis deturparet, & ad vulgatæ ductum corrumperet, in Novo fœdere per omnia fere exprimens Emſerum. Sed de hac quoque verſione in hiſtoria Bibliorum Lutheri capite 7. plura diximus.

§. IV.

A. 1535. Coloniæ prodiit Pſalterium Germanicè expoſitum à Carthuſianis Colonienſibus: Der Pſalter Latein und Deutſch treulich verdolmetſcht und gründlich ausgelegt mit Chriſtlicher Erklärung aus Dionyſio Carthuſiano und vielen andern heiligen Lehrern. Dabey des Alten und Neuen Teſtaments Cantica verſamlet durch die Cartheuſer in Cöln. Biennio interjecto *Joh. Eccius* notiſſimus Lutheri adverſarius Ingolſtadii ſuam editionem Bibliorum edidit, de qua diſceptari video, utrum Veteris duntaxat, ut affirmat Gretſerus, an utriusque fœderis libri, ut Sixto Senenſi viſum, nova Germanica translatione ab Eccio donati fuerint. Sed juncta Emſeri verſio N. T. hinc inde interpolata verſioni Eccianæ librorum Teſtamenti veteris (ex Vulgata non minus quam Dietenbergiana) effecit, ut integra Biblia Germanice denuo reddidiſſe Eccius videretur. Eccius ipſe in dedicatione operis ſui Biblici ad Matthæum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem & ArchiEpiſcopum Salisburgenſem, poſtquam libros Veteris Teſtamenti ex Latina vulgata transtuliſſe ſe dixiſſet: Aber im N. Teſtament / ſo hie zuvor mit höchſtem Fleiß verrichtet hat der ehrliche u. fürtreffliche Mann / Licentiat Emſer ſeliger / hab ich ihn des Lobs Lohn und Preiß ſeiner Arbeit nicht wollen berauben / wie die Trucker ſein Neu Teſtament einflechten ohn Meldung des Nahmens / das ich für unrecht halte / darum hab ichs bey ſeiner translation laſſen bleiben / allein wo er Wörter gebraucht / uns Hochteutſchen nicht gemein / oder wo er ein Lümpli aus Eraſmus translation hinzu gethan / darvon unſer heilig Chriſtlich Kirch nichts weiß / das hab ich geändert / heraus geſtrichen und radirt. Idem Eccius in præfatione ad N. T. In dem A. Teſtament hab ich mir die Arbeit genomen / und das von neuem verdolmetſcht mit der Gnade Gottes. So aber der Ehrwürdig hochgelahrte Herr Hieronymus Emſer / ein treffentlicher Beſchirmer des heiligen Chriſtlichē Glaubens / vor etlich Jahren / auf Begehr des Durchläuch-

läuchtigen Hochgebornen und Christlichen Fürsten und Herrn / Herrn Georgen Hertzogen zu Sachsen / Marggraven zu Meissen und Landgraven in Düringen ꝛc. das Neue Testament mit sunderm Fleiß künstlich und warhafftig verteutscht hat / wäre von mir sollich Mühe ein Uberfluß gewesen / dann ich mag nit prangen mit fremden Federn / noch andere Arbeit mir zuschreiben / die Gelehrten ihrer Ehren zu berauben. Hab also seine translation für Hand genummen / die Randglossen gesundert / und auf hochteutsch mit Worten und Syllaben verstellt. Das bitt ich dich Christlicher Leser wolleſt guter Meynung annehmen. Und biß GOtt befohlen. Porro A. 1558. *Erasmus Wolffius* Canonicus Augustanus translationem Eccii ab autore recognitam post obitum ejus recudi curavit, forma folii, quæ editio in meis versatur manibus. Denique eandem versionem ad exemplar Sixti V. castigavit & denuo edidit Fr. Tobias Hendschelius ibid. 1602.

§. V.

A. 1582. *Caspar Ulenbergius* Apostata ex Lutheranis Gymnasii postea Colonienſis Laurentiani regens & ad D. Columbam Pastor Psalmos Davidis vario metro Germanico expressit, quem librum avidissimè à cunctis exceptum esse, legas in ejus vita per Arnoldum Meshovium scripta, & Colon. 1638. 8. edita. p. 41. Idem universos libros sacros ad Sixtinam editionem vulgatæ latinæ versionis Germanicè denuo transtulit jussu ArchiEpiscopi Colonienſis, qua de re in eadem Ulenbergii vita hæc memoriæ prædita reperi. *A. 1614. de Bibliorum versione primo actum est, quam religiosissimus Elector & Archi-Episcopus Colonienſis deinceps per Itelium Fridericum Comitem Hohenzollerarum Metropolitanum præpositum, dein sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Osnabrugenſem in Westphalia Episcopum constanter urgebat. In cunctis Serenissimo Archipræsuli Ulenbergius obsecundans injuncto muneri manum celerem apposuit. Mox periculum sui facturus, quot brevi capita transferre per otium posset, cum sacra Biblia universim mille trecenta & sexaginta numerent, à tertia & vigesima mensis Octobris die anni 1614. usque ad decimam quartam sequentis Februarii intra dies centum & quindecim capita bis centum unum & nonaginta absolvit. Quo porro spectarit semper, & qua sinceritate in novа translatione adornanda usus fuerit, testatur ipse. 1.) Religiose, ait, adhæresco ad textum ab Ecclesia probatum Sixtinæ editionis. 2.) Propositum habeo nullam vocem omittere, quod in eo textu sit. 3.) Nec quicquam addere. 4.) salva tamen ea libertate, qua D. Hieronymus & probati interpretes utuntur, ut non semper verbum verbo, sed phrasis phrasi reddatur. 5.) Subinde etiam quæ presse, concise & obscurius dicta sunt, pleniore sermone evolvo. 6.) Ubique religiose observo, ut is sensus commodis & usitatis vocibus*

„plene exprimatur, quem sancti Patres ab Ecclesia didicerunt, Ecclesia à Spi-„ritu S. hausit. – Elector veritus, ne Ulenbergii vires è gravi morbo vix resti-„ti sufficerent, consultandum censuit, num Dietenbergii versionem ad latinam, quam S. Concilium Tridentinum approbavit, revocare, quam novam facere facilius foret? Respondit Ulenbergius datis ad comitem Hohenzollernum literis „A. 1614. 8. Dec. qui se Electori principi traditurum illis promisit. Emendare, „inquit, Dietenbergii versionem Bibliorum Germanicam, ut cum Latina Sixti-„na editione conveniat, impossibile est. Facilius novam adornare, ut Lovanien-„ses fecerunt in Gall. co & Belgico idiomate. Quod si fieri debeat cum fructu, ne-„cessarium erit, ut unus quidem vertendi laborem suscipiat, ut sit æqualis dictio: „sed huic adjungendi erunt, qui ea, quæ verterit, diligenter examinent, expen-„dant omnia, & interpretem, sicubi forsan hæsitarit vel impegerit, sincere mo-„neant. Eos putarim duos designandos à facultate Theologica, quos ipsa fa-„cultas in hac universitate idoneos ad eam rem judicarit. Quibus duos cen-„suerim adjungendos è societate, Patrem Rectorem Collegii societatis, & quem „ille duxerit assumendum. Ad hos recurrat, qui laborem vertendi suscipit, „quoties id necessitas postulabit. Et quidquid vertit, his vel conjunctim vel „separatim examinandum exhibeat, ut postea sub Universitatis attestatione Bi-„blia prodeant. Quod ipsum definitio Romanæ Congregationis A. 1608. 17. „Maj. in gratiam Germanicæ nationis factæ requirit his verbis: Sacra Bi-„blia &c. &c.

Posthæc de Melchioris Brunii, D. Martini parochi, viri de Ecclesia & Rep. Colonienſi optime meriti translatione MS. possitne versori subsidium ferre, pluribus disputatum fuit. Ista sub manu Ulenbergii, diligenti examine præ-„vio, hanc censuram tulit: 1.) D. Brunii versio commodior & tersior Ecciana. „2.) ad latinum Ecclesiæ textum ad amussim facta. 3.) autor eam non lima-„vit, prima fœtum est. 4) Nimium subinde latinizat. Eccius semper fere la-„tinizat. 5.) unde & Structura verborum venit ad latinam Syntaxin facta. „6.) Habet & Germanica lingua suam syntaxin, cujus exacta est ab interprete „habenda ratio. 7) forte & in orthographia & flexura vocum & phrasi Ger-„manica hinc inde aliquid desideres. Defuerunt D. Brunio præsidia 1.) textus „emendati per Sixtum V. Pontificem, unde varia lectio perplexum eum subinde „fecit, retinuit nonnunquam, quod Sixtus V. resecuit. 2.) defuit collatio cum „viris scripturæ amantibus. Non est unius viri negotium illud. 3) Defuerunt „interpretes accurati, qui nunc in manibus versantur. Ergo novo ad illum di-recto diplomate, ut quod animo pridem cœperit, pergat porro, paterne cohorta-tus est.

§. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0092
DFG

§. VI.

A. 1641. Georgius *Holzaius* Jesuita Germanicè una cum notis edidit Evangelia & Epistolas in festa totius anni. Anno 1662. denique auspiciis *Joh. Philippi Electoris* & Archiepiscopi Moguntini nova totius scripturæ versio Germanica prodiit à *Moguntinis* adornata *Theologis*, qui in hoc potissimum incubuisse se profitentur, ut plerorumque desideriis satisfacerent, qui Vulgatam pura dictione Germanica expressam cupiunt. Hoc enim neque Dietenbergium reliquosve hactenus nominatos, neque ipsum *Ulenbergium utpote Westphalum atque idiotismi elegantioris minus quam necesse fuerat peritum* præstitisse. Quam vero promissis suis steterint, *tunc demum agnoscemus* (inquit B. Kortholtus p. 336. libri de variis scripturæ editionibus) *si, de quo gloriantur Latini, Germanici textûs connubium in eo situm fuerit, quod Hebræo-Latino-Germanico stylo in scribendo quis utitur.*

§. VII.

Germanicas versiones excipiant *Italicæ*, ex quibus primo loco memoranda, quæ ab *Antonio Brucciolo* non ut *Malherbius* anteà fecerat ex Vulgata, sed ex Ebræo & Græco sive è Pagnino potius adornata est, lucemque adspexit Venetiis A. 1538. præmissa Epistola ad Franciscum I. Franciæ regem, qua *de permittendis Bibliorum in linguas vernaculas translationibus* non absurdè disputatur. Equidem in editionibus aliis hæc epistola fere est prætermissa, *Gvilelmus* porro *Crowæus* testatur *Bruccioli* versionem in tres distinctam tomos commentariis illustratam prodiisse Venetiis 1546. fol. Extat & alia A. 1562. itidem munita commentariis ex *Rob. Stephano* sive *Francisco Vatablo* interpolatis, de qua *Arnoldus Bootius* in indice autorum animadversionibus Biblicis præmisso mentionem facit. Fallitur autem B. *Kortholtus* cum l. c. p. 309. tralationem *Bruccioli* antiquiorem esse putat Malherbiana, atque adeo ipso Luthero, cum quatuor annis post primam Lutheri Bibliorum editionem prodierit, & Malherbiana versione junior sit annis ad minimum sexaginta.

Th. VIII.

Versionem Italicam Bibliorum ex Hebræo, quæ *à S. Marmachano Florentio* adornata fuerit, & Venetiis A. 1583. fol. edita sit, chimæricam esse vix ambigo, etsi Crowæo primo loco inter Italas versiones memoretur. A. 1542. Versionem Italicam Novi fœderis emisit *Zacharias Florentinus* Dominicanus, itidem Venetiis. A. 1552. Lugduni edita est Italica N. T. translatio nomine *Maximi Theophili Florentini*, merumque *Bricciolum* exhibet, si credimus *Hottingero* p. 245. fasciculi dissertationum; sed hallucinatus est vir doctus ex malè acceptis *Gisb. Voëtii* verbis p. 511. Bibliothecæ Studiosi theologiæ. *Transtulit & Novum Testamentum Maximus Theophilus Florentinus post Brucciolum,*

idque ut puritatem linguæ Italicæ magis observaret. Vide ejus præfationem Apologeticam præfixam libello cui titulus: La Semenza d' intelligenze del N. T. Editum est & Novum Testamentum apud Rovillum Lugduni A. 1552. sed est translatio Bruccioli.

§. IX.

A. 1589. auspiciis Sixti V. Pontificis Maximi Biblia universa à viris doctis in linguam Hetruscam conversa sunt, typisque exscripta est translatio; sed mox intercedentibus Cardinalibus & urgente illud ad horum institutum Philippo II. Hispaniarum Rege, omnia exemplaria fuere suppressa, & summo studio occultata. Quam rem Autor libri *il Vaticano languente* parte 2. p. 490. perspicue refert & Illustris Wagenseilius meus in telis igneis Satanæ p. 25. ita latine expressit: PASQVINUS. *Ecclesiastici nostri, loquor generatim, similes sunt psittacis, loquentibus linguam quam non intelligunt, & dicentibus quæ dicere jubentur, sed ignorantibus quæ dicunt. Sic bona pars sacerdotum & fratrum legit Breviarium & Missale, atque præcipua eorum librorum pectori vel potius memoriæ infixa habet, sive quam ut sensum quinque vocabulorum assequatur.* GIBBERUS RIALTINUS. *Atqui si Religiosi non sciunt, quæ dicant, quomodo poterint id scire tot pauperes fideles, qui in nostra Catholica religione vivunt, plane ut Psittaci in cavea circulorum ferreorum.* MARFORIUS. *Duplici ratione remedium parari potest huic malo, scilicet omnibus imperando ut æque bene linguam latinam addiscant, ac tenent vernaculam, ut ab omnibus probe intelligi queat, cum res quasi impia sit, obstringere simplicem fidelem, ut psittacorum more loquatur, ignoretq; de qua materia loquatur.* PASQVINUS. *Sixtus V. qui malum cognoscebat, nunquam alium scopum habuit propositum, quàm ut dissiparet abusus, qui in Romam & in Ecclesiam fuerant inducti, cogitabat necessarium afferre remedium, transtulerat enim & postea prælo subjecerat sacra Biblia in lingua vernacula, quod fuisset opus sanctissimũ utilissimumq; fidelibus, si illius consilium omnes amplexati essent, & Pontificis successores, in vicem condemnandi eam translationem tanqvam opus hæreticum, potius in omnibus regnis Christianis eam divulgassent, augendoque numerum, repetitis exhortationibus quemque fidelem obstrinxissent, ut illius exemplar domi suæ teneret.* MARFORIUS. *Optima intentio magni istius Pontificis tam male fuit explicata, ut multi eum tanquam hæreticum traducerent, quin adeo quidam Cardinalium cum vidisset dicta Biblia in vernacula, alta voce exclamabat;* Aut peritura est Ecclesia Dei, aut iste Papa morietur. *Atque quia haud multo post illius mors consecuta est, non sine suspicione veneni, malevoli illicò rumorem spargebant, istud esse miraculum cœlo missum: prorsus quasi delictum esset monstrare simplicibus viam cœli.* GIBBERUS RIALTINUS *Ecclesiastici, qui magna ex parte rudes sunt, nolunt, ut plebeji*

plebeji homines ipsis doctiores evadant, timent enim, ne si hi bene sacram Scripturam intelligant, moveant dubia & quæstiones, quibus non queant respondere, quippe scopus illorum est cumulare opes, potiri honoribus & superiores sese reddere ipsis Principibus, non vero erudire ignorantes. Pluribus idem negotium persequitur *Gregorius Leti* in vita *Sixti V.* Hetruſco idiomate edita parte 2. p. 399. seqq. à quo etiam Bibliothecæ, in quibus hodieque exempla illius translationis extant, indicantur.

§. X.

Non prætereundus quoque in Hungaricam linguam libros utriusque Teſtamenti ex Latina Vulgata transtuliſſe Jeſuitam *Georgium Kaldum* editos Viennæ A. 1626. fol. Idem *Kaldus* A. 1629. Evangelia & miſſas per annum legi ſolitas Hungaricè luci publicæ expoſuit. Narrat etiam *Alegambe*, *Stephanum Aratorem* ſive *Szanto* Jeſuitam libros V. T. collatis Hebraicis Græcisque fontibus eadem lingua interpretatum, verſionem autem typis exſcriptam non fuiſſe.

§. XI.

Reliquum eſt ut de *Gallicis* Scripturæ verſionibus dicamus, quas à Lutheri temporibus Pontificii homines condere & in lucem edere non dubitarunt. In his primus facile locus debetur translationi, quæ, neſcio quibus autoribus, *Caroli V.* Cæſaris privilegio munita prodiit Lugduni primùm A. 1521. mox recenſentibus Doctoribus *Lovanienſibus* Antvverpiæ A. 1530. 1534. 1541. &c. ac ſi *Richardum Simonem* audimus hæc fundus & ſumma omnium ferè reliquarum Gallicarum verſionum fuit, ut quæ poſt eam ſunt plurimæ, non tam novæ translationes quam illius interpolationes eſſe videantur. Vid. *lib. 2, Hiſt. Crit. N. T. p. 328. ſq.*

§. XII.

Magnum tamen *Lovanienſes* ſibi gloriam compararunt edita A. 1557. nova editione Gallica Bibliorum ad vulgatam expreſſa, quæ tam avide excepta eſt ab omnibus ut *Arnaldus in defenſione contra Malletum T. I. p. III.* affirmet eam intra ſeculi ſpatium recuſam eſſe vicibus amplius ducentis. *Id vero operis*, ut in diſquiſitionibus Criticis c. 24. idem Simon obſervat, *non ob alias rationes aggreſſi ſunt Theologi illi, quàm ut homines plebejos & ineruditos à Bibliorum Genevenſium, quæ tunc pluris fiebant, lectione averterent. Similibus quoque adductos ſe fuiſſe teſtantur rationibus Theologi illi, qui Biblia in ſermonem Anglicum, Germanicum, Polonicum, Hungaricum, & in alia plebeja idiomata converterunt, ne ſcilicet ab omnibus paſſim legerentur Proteſtantium Biblia.* Cæterum *Lovanienſes* iſti non dubitarunt in plerisque Genevenſium arare vitula, & *Olevitani* verſionem à *Calvino* interpolatam locis difficilibus

cilibus passim exprimere, uti *Franciscus Veronus* & *Michael Marolles* in præfationibus ad suas N. T. Gallicas versiones aliique plurimi etiam ex ipsis Pontificiis annotarunt. Longe vero turpius est, quod ipsi, ubi suam voluere industriam probare, varia in textum Scripturæ intulerunt de quibus sacri Scriptores nunquam cogitasse constat. Vide *Dallæum de usu Patrum p. 128.* & *Warthonum in auctario ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis p. 454.*

§. XIII.

Videtur etiam nova quædam translatio Bibliorum esse quæ eodem anno 1557. Lugduni prodiit ap. *Johannem de Tournes.* sed Genevensem in plerisque exhibet, adeo ut non aliam à Genevensi esse scripserit *B. Kortholtus* l. c. p. 315. *Quæ enim in illa mutantur perpauca sunt, eòque solùm tendunt, ne esse videatur qualis tamen reapse est Genevensis partus hæc interpretatio. Quo fine etiam ut in vulgata Latina libri sacri in editione ita distribuuntur, nec alias ibi quam Hieronymianas Præfationes legimus.*

§. XIV.

A. 1566. *Renatus* quoque *Benedictus*, Theologus Parisiensis, linguarum licèt minus peritus inter Scripturæ interpretes nomen sibi edita Gallica Scripturæ versione comparare annisus est. Cum vero ex eadem Genevensi pleraque hausisset usque ad κυρίας etiam Calvini δόξας; in facto deprehensus una cum versione sua à Facultate Parisiensi condemnatus est, quæ res fusius narrata legitur in libro edito Parisiis A. 1661. 4. *Collectio quorundam gravium autorum, qui ex professo vel occasione S. Scripturæ aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt, unà cum decretis summi Pontificis Gregorii XIII. & Cleri Gallicani ejusque Epistolis, Sorbonæ censuris ac supremi Senatûs Parisiensis placitis, jussu ac mandato ejusdem cleri edita.* Confer *Possevinum* in *Apparatu S.* voce *Biblia* & *Simonem lib. 2. Hist. Crit. V. T. cap. 25. lib. 2. N. T. p. 343. seqq.*

§. XV.

A. 1608. *Franciscus Bessæus* & A. 1620. *Franciscus Frizonius* Parisiis Gallicam se Bibliorum translationem in lucem dare professi sunt, cum & harum utraque eadem propemodum sit cum illa *Lovaniensium* atque adeo interpolata Genevensis. Equidem *Frizonius*, metuens ne versio sua idem quod *Renatus Benedictus* fatum experiretur, subjecit libellum *de ratione discernendi Biblia Gallica Catholica à Bibliis Hugonottarum*, in quo non pauca repetiit ex *Geneva plagiaria* Jesuitæ *Cottoni*, ut notatum eidem *Simonio* p. 352.

§. XVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0096
DFG

§. XVI.

Jacobus Corvinus Advocatus Parlamenti Pariſ. aliam verſionem Gallicam Scripturæ ſed aſpera & rudi dictione compoſitam edidit. Quam cum recuſantibus Pariſienſibus Theologis Pictavienſes approbaſſent elegantiſſimamque dixiſſent, Simon eos ridens *il nya*, inquit, *que des Docteurs de Poitiers, qui pruſſent, dire qu' elle eſt tres élegante.* Et tamen *Franciſcus Veronus* hanc verſionem præfert *Lovanienſi* quòd accuratius cum vulgata ei conveniat.

§. XVII.

A. 1646. idem *Franciſcus Veronus* verſionem N. T. *Lovanienſem* ita recognovit & cum brevibus ſuis notis edidit, ut novam videri poſſe ipſe profiteatur. Arguitur & hic ejusdem Pariſiis cum Lovanienſibus culpæ reus quod *Miſſam* aliaque Scriptoribus Sacris inaudita vocabula in verſionem ſuam receperit & lectoribus ſuis propinaverit. Confer vitam *Bocharti* à *Stephano Morino* ſcriptam p. 3. & libellum Gallicum editum hoc titulo: *la Meſſe trouvé dans l' Ecriture* à Ville-franchne 1678. 12. quamvis *Veronum* excuſat autor itidem anonymus notarum Gallicarum in Epiſtolam *Jacobi Sponii*, Antwerpiæ A. 1681. editam, p. 101. ſeq.

§. XVIII.

A. 1649. *Michaël de Marolles* villæ longæ (de Ville loin) Abbas aliam novi fœderis verſionem ex Græcis fontibus ſive ex *Eraſmo* potius adornatam vulgavit, cui præmiſſa inſignis præfatio de Scripturarum lectione Laicis etiam concedenda, de præſtantia earundem & de ſacris libris in vernaculum ſermonem transferendis. In editione ſecunda A. 1653 tertiaque A. 1655. illa præfatio omiſſa, nec pauca mutata ſunt, ſæpiusque ad Vulgatam latinam editionem facta acceſſio, quæ in tertia editione etiam ad latus juncta comparet.

§. XIX.

A. 1660. *Carolus le Breton* Jeſuita Pſalmos Gallicis verſibus expreſſos edidit Pariſ. 1660. 8. idem ante eum A. 1651. fecerat *Johannes Adamus* ex eadem ſocietate, ut *Naverum*, *Connartum*, *Gilbertum*, *Baſtidiumque* omittam. Imprimis vero laudem omnium & applauſus meruit elegantiſſima *Antonii Godelli* Metaphraſis ante triginta ferè annos Pariſiis in lucem emiſſa cum inſigni præfatione.

§. XX.

A. 1666. *Dionyſius Amelotus* Presbyter Congregationis Oratoriæ novam translationem Novi Teſtamenti ex vulgata adhibito majore quam alii ante eum ſtudio adornavit, additis notis Criticis & ad defenſionem Vulgatæ comparatis. Recuſa hæc verſio ſæpius ſed omiſſis annotationibus. At in

editione Pariſ. 1688. 4. notæ quoque leguntur, quibus nihil κριτικώτερον in Novum fœdus Gallica ſcriptum lingva extare affirmat *Simon lib. 3. Crit. N. T. p. 883.* quem vide etiam *lib. 2. p. 361. ſeqq. & præfat. ad Crit. V. T. p. 17. lib. 1. Crit. V. T. p. 14. Petr. Ambruni reſponſ. p. 6. b. 14. b. &c.*

§. XXI.

A. 1667. primùm lucem adſpexit celebris illa & ſæpiſſimè recuſa recenſitaque atque emendata Gallica Novi fœderis translatio elegantiſſima *Montenſis* ſive *Janſeniſtarum*, autore *Saſſyo* & hyperaſpiſta *Arnaldo*. Hæc in titulo promittit ſe Vulgatam Latinam exprimere, additis Græcorum codicum varietatibus. In quibusdam etiam editionibus Vulgatam ad latus junctam videas. Sæpe tamen verſio ipſa eam deſerit, eô, quod autor putavit rectiſſimum, in textum receptô, & vulgatæ lectionibus in ora paginæ annotatis. Præmiſſæ ſunt præter *Regis Hiſpaniæ Caroli II.* privilegium approbationes *Archi-Epiſcopi & Ducis Cameracenſis, Epiſcopi Namurcenſis*, & *Jacobi Pontani* Lovanienſis Theologi. Nihilominus inimicorum artibus effectum eſt, ut tres Archi-Epiſcopi & quatuor Epiſcopi in Gallia eam ſub excommunicationis pœna prohiberent. Quin ipſe *Papa Clemens IX.* temerariam noxiamque pronunciavit, & *Innocentius XI.* eam damnavit decreto 19. Sept. 1679. Quæ porro in ea reprehendunt & Janſeniſtis objectant Adverſarii, hæc fere ſunt, *Bezam* paſſim eos eſſe ſecutos, uti ex Patribus ſolum *Auguſtinum*, ex recentioribus commentatoribus *Eſtium*, etiam in locis ubi illos contigit hallucinari. *Ameloti* verſionem ſæpè exſcripſiſſe, varias notare lectionum differentias nullius momenti, prætermiſſis notatu dignioribus, porrò, quod eſt graviſſimum & indigniſſimum, Evangeliſtis & Apoſtolis ſæpe longe aliena ab eorum mente affinxiſſe propriaque præjudicia pro illorum verbis venditaſſe. Janſeniſmo paſſim frigidam affundiſſe verſionem ab Eccleſia receptam autoritatemque ſedis Apoſtolicæ contempſiſſe & ſuas ſæpè ſententias variis hæreſibus faventes illi oppoſuiſſe. Hæc paſſim inculcant *Malletus* Doctor Sorbonicus, Canonicus & Archidiaconus Rhotomagenſis & *Ludovicus Maimburgius* variis ſcriptis, Jeſuita *Tellerus* in Obſervationibus Franciſco Harlæo Archi-Ep. Pariſienſi dicatis, & *Richardus Simon lib. 2. Hiſt. Crit. N. T. cap. 35. 36. 37. 38. 39. lib. 3. cap. 59. 60. diſſ. de MSt̃is N. T. p. 63. ſeq.* Neque vero inultos ſe paſſi ſunt damnari vexarique Janſeniſtæ, ſed qua adverſus cenſuras publicas, qua adverſus objectiones Jeſuitarum aliorumque ſtrenue ſe defenderunt. Cenſuris publicis Gallica lingva oppoſuerunt *Nullitates ordinationis Pariſinæ, Monita ad breve Clementis IX.* quod habent pro ſobole Cabalæ Jeſuiticæ, *literas ad Conſiliarium, duos dialogos &c.* Jeſuitis in Apologia eisdem oppoſita reſpondent *eos fruſtra diſputare contra divinum hoc teſtamentum falſis quibus-*

busdam Ethicæ corruptissimæ rationibus, haud passos leges cognosci quas tantopere violassent. Malleto inprimis *Arnaldus* se objecit edita Gallicè *nova defensione Novi Testamenti Montibus Hannoniæ editi* Colon. 1680. 8. 2 volum. adde *vitam Arnaldi* p. 182. seq. Idem *Richardo Simoni* quoque litem movit, in *Dissertatione Critica de Exemplaribus ad quæ vulgatam versionem compositam esse verisimile sit:* quamvis in illo argumento impar *Simoni* adversarius congressus esse videatur; Neque verò *Simon* probat objectiones Jesuitarum aliorumque, qui hæreses & nescio quæ flagitia in Montensi versione traducunt, ut abunde patet ex his ejus verbis ad novam editionem Historiæ Criticæ V. T. quæ ex Gallicis latina hic apponam: *Non minores turbæ concitatæ sunt contra versionem N. T. factam à Jansenistis.* (par Messieurs de Port Royal) *Sane Maimburgius, Malletus Doctor Sorbonicus & quidam levis armaturæ Missionarii, vehementissime in eam invecti sunt, utpote quæ tota scateat mendaciis & blasphemiis, & hæresibus, si credas Malleto ejusque sociis. Sed viri cordati ac periti qui judicio pollent longe aliter sentiunt.*

§. XXII.

Idem *Sassius* universum quoque vetus Testamentum ab Anno 1670. usque ad A. 1692. singulis fere libris separatim in lucem emissis facto à libris Salomonis initio Gallice transtulit, notisque brevibus moralibus illustravit, prodiit pluribus in 8. voluminibus Parisiis primùm deinde Amstelodami. Quibus nihil nisi suum placet, ab illis arguitur ut qui Ebræos fontes raro consuluerit, Versione Genevensi & notis Grotii sæpissime usus fuerit. Vide *P. Ambrum respons. ad Hist. Crit. V. T. p. 30. 33. b.* Iidem notas utpote levis momenti & ad intelligentiam librorum sacrorum parum facientes perstringunt. Confer *Sentimens de quelques Theolog. de Hollande p. 35.* aliud tamen videtur summo Viro *Ezech. Spanhemio* in *Epistola de Historia Crit. V. T. p. 509. seqq.*

§. XXIII.

A. 1668. Parisiis *Antonius Godellus* Episcopus Vincensis versionem N. T. sive paraphrasin potius edidit, ipse enim appellat *versionem explicatam*. Hæc parum sane differt à Montensi nisi quod notas uberiores & textui statim insertas exhibet, confer *Arnaldi defens. N. T. lib. 1. cap. 8. Simon. lib. 2. Crit. N. T. c. 34.*

§. XXIV.

A. 1693. *Bohurius* Jesuita novæ versionis suæ partem priorem quatuor nempe Evangelistas cum notis & stricturis ad Montensem translationem in lucem emisit Parisiis, à quo alter quoque tomus propediem expectatur. Hic autor magnam elegantiam & accurationem promittit, ac si omnes vellet

ante se vulgatas versiones obliterare, sed illum cornicum oculos configere cupientem non sine responso dimisere *Jansenistæ* quo & illum suos pati manes ostenderunt. Triennio antè nova versio & *paraphrasis Gallica Cantici Canticorum* cum notis, nescio quo autore, prodiit, de qua vide supplementa Act. Eruditorum T. 2. p. 64. seqq. Hæ sunt ferè translationes sacrorum librorum Gallicæ, quæ à Lutheri temporibus inter Pontificios editæ lectæque sunt, quarum multitudinem & repetitas editiones (una enim *Montensis plus quadragies, Lovanienſis amplius ducenties recusa est*) si consideremus, facile intelligimus Lutherani dogmatis de legendo etiam à Laicis sacro codice in Gallia majorem quam regnum tenebrarum cuperet vim & efficaciam fuisse, contemnique à Gallis indices prohibitorios qui scripturam lingva vulgari vetant, ut ante paucos annos quidam ex illis apertè scripsit: *L'Egliſe ne defend point abſolument la lecture de la Parole de Dieu. Silya quelque defenſe de la live en lingue vulgaire, elle eſt de l'Index que nous ne recevons point en France.*

Caput IV.

Catechismos Romana Ecclesia Lutheri laboribus possidet.

§. 1. *Librorum Catecheticorum utilitas & in veteri Ecclesia usus, quem B. Lutherus feliciter revocavit, ringentibus partim, partim fructum agnoscentibus Pontificiis, qui interim ante Lutherum eos neglexerant.*

§. 2. *Ad Lutheri exemplum Catechismi usum restituere decrevit Concilium Tridentinum.* Catechismi Romani *editiones, praxis, versiones.* Jacobi Baji & Andreæ Fabricii *testimonia de ejus utilitate.*

§. 3. *Catechismus* Petri Canisii. *Ejus laus & variæ versiones.*

§. 4. *Innumeri libri Catechetici post Canisium in variis locis & lingvis editi à Jesuitis.*

§. 5. *A Luthero hoc manasse, Pontificii negare non possunt. Testimonium Possevini & Erneſti Landgravii Hassiæ.*

§. 1.

Quantum utilitatis ex Catechismi doctrina ad totam Ecclesiam redundet, dici non potest. Ita enim teneris agnis & nondum capacibus solidioris cibi, lac immulgetur, ut ad justam staturam adolescant imbuti

buti ita animi. Quæ Catechetica puerorum informatio instar fœcundissimæ puerperæ habet, quæ DEO infinitos quotidie liberos parit & ad cœlum transmittit, quod prolixe probari posset, si opus esset. Magnum itaque studium pii Patres olim Catechumenis impenderunt, Clemens Alexandrinus apud *Hieronymum de Script. Eccles.* Origenes *Euseb.* L. 6. Hist. Eccles. c. 2. *Cyrillus Hierosol.* alii. Horum expressissima vestigia secutus Lutherus, omni studio, omni conatu id egit, ut Catechismum, in Papatu ignoratum, in Ecclesiam reduceret. Et factum sane ingenti successu, frementibus quamlibet & ringentibus adversariis, qui pueros puellasque nostros fidei suæ rationem exactiorem dare posse Monachis suis, ipsi adeò veritate fiduculas admovente fatebantur, conf. *Cochlæum* f. 55. de Actis & Scriptis Lutheri, *Ant. Possevinum* Jesuitam Ep. *de Necessitate, Utilitate ac ratione Catholici Catechismi* p. 39. edit. Ingolstad. 1583. Quid verò Papatus ante Lutherum? & florebat & defendebatur Fides implicita & carbonaria, id est, pecuina ruditas atque ignoratio rerum ad salutem necessariarum. Orta hinc prudentiorum inter Pontificios vota, de concinnando aliquo libro Elementa fidei tradente. Ita Parisiensis Scholæ Cancellarius, *Joh. Gerson. in Epist de neglig. Prælator. & reformatione Facult. Theol. Parisiens.* lectu certe dignissima Tom. IV. Opp. f. m. XIX. a. *Item forte expediret, quod sicut olim tempore quarundam pestilentiarum facultas medicorum composuit tractatulum ad informandos singulos: ita fieret per facultatem* (Theologicam) *vel de mandato ejus aliquis tractatulus super punctis principalibus nostræ religionis; & specialiter de præceptis ad instructionem simplicium, quibus nullus sermo aut rarò fit, aut malesit.* Junge ejusdem Gersonis Tractatum *de parvulis trahendis ad Christum.* Tom. II. Opp. f. m. 33. Sed benè jam habet, quod vel exemplo Reformatoris sui moniti resipuere Pontificii. Statim enim, ponderato Catechismi Lutherani insigni successu, & ipsi ad scribendas Catecheses animum adplicuerunt.

§. II.

Hinc Patres Tridentini Concilii de concinnando aliquo Catechismo agitabant consilia. Prodiit itaque auspiciis Pii V. Pontificis Catechismus quem *Romanum* vocant, quemque *Jacobus Bajus* in dedicatione hoc ornat elogio: *Suo jure principem locum inter omnia Doctorum scripta obtinet, cum non unius hominis privati sensum, sed Ecclesiæ totius (quæ columna & firmamentum veritatis est) judicium & Apostolicam à B. Petro & Paulo doctrinam Romanis tradità contineat, juxta quà populo in templis & juventuti in scholis proponenda doctrina omnis attemperari debeat, ita ut hic unus liber instar omnium tam docentibus quam discentibus lydius lapis, certissima & infallibilis*

norma, ad quam examinanda sit omnis doctrina, esse queat, indeque fiat, ut sicuti una est Christi fides, ita quoque una ejus exponendæ forma ab universis observetur. Bajo succinens *Andreas Fabricius* Leodius in præfat. dedicatoria Catechismi Romano præmissa edit. Coloniæ 1641. *Ecce*, inquit, *Oecumenicæ Synodi Tridentinæ autoritate non modo graviora Catholicæ doctrinæ capita contra nostri temporis hæreses decernuntur, sed præterea ejusdem Sacræ synodi decreto Catechismus conscribitur, certaque formula & ratio Christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi publice proponitur, ut nulli jam dubium esse possit, quid sequi inter tot errores debeat, cui docendi munus in Ecclesia Catholica est impositum. Quod equidem Dei beneficium adeo excellens est & amplum, ut Christiana resp. secundum nunquam senserit nec ullum exemplum in eo scribendi genere habeat. Quid enim majus in tanta orbis & religionis concussione, in tantis fidei procellis hominibus accidere potuit, quam Oecumenici Concilii autoritate tabulam solidissimam, quâ tumentes undique fluctus superent, accipere?* Hujus Catechismi praxin *Joh. Eusebius Nieremberg* Jesuita in lucem edidit, quæ uti sæpius recusa est, ita per Hispaniæ Ecclesias Episcopis jubentibus publice legi consuevit etiam concionis loco inter ipsa Missarum solennia, ut *Alegambe* in Nierembergi vita p. 444. Bibliothecæ *Jesuiticæ* testatur. Germanice eandem Catechesin transtulit Paulus Hoffæus. Cætera, quæ de hoc Catechismo dici possunt, lubens transeo.

§. III.

Eadem ferè tempestate aliquid prælo dignum parabat & in publicum proferre meditabatur recens collecta Lojolæ societas, primas vero partes detulit & ipsa Catechismo, qui autore *Petro Canisio* A. 1554. vulgatus est. Juvat audire *Nicolaum Orlandinum* Historiæ societatis Jesu lib. XIV. n. 43. p. 459. *Quoniam Ferdinandus Rex non ignorabat earum gentium ad Ecclesiam reditum & salutē sitam esse maxime in integritate & castitate doctrinæ, magnopere autor Canisio fuit, ut Catechismum Christianæque legis summam accurate conficeret, quam unam omnes cæteris deinde Catechismis, quos hæretici passim spargebant, explosis tuto & inoffenso pede percurrerent. Quod munus jampridem Jajo imposuerat, sed is antequam opus aggrederetur, vitam absolvit. Fecit imperata Canisius, & Catechismum luculentum summa cura & eruditione perfectum recognoscendum ad Ignatium misit. Qui cum in urbe cognitus & excussus & deinde probatus vehementer esset, ad suum remissus autorem, jussu Regis, cui item perplacuerat, in lucem exiit. Idem postea à Lovanienſi Academia receptus, laudibusque summis ornatus, inque multarum translatus nationum linguas, ad hanc usque diem omnium fere gentium manibus teri-*

teritur, magno commodo Catholici gregis. Isque Catechismus, & continuatus à Polaneo libellus, quem Directorium confessariorum inscripsit, item hoc anno primùm editus, prima ab hominibus societatis vulgata sunt opera. Istum Canisii Catechismum locupletatum deinde edidit *Petrus Busæus* Coloniæ A. 1559. Verissimum autem est quod affirmat *Orlandinus*, in varias lingvas translatum fuisse, atque *Græcè* quidem & *Ebraicè* reddere non dubitavit mirificus ille interpres *Georgius Mayr* Jesuita, qui, quod citra risum ego vix scribere, tu nescio an legere potes, *Latinam quoque vulgatam Novi Test. versionem in Græcam lingvam* iterum transfudit, teste Alegambe in ejus vita. *Anglicè* Catechesin Canisii vertit martyr ille, si Diis placet, Angliæ *Henricus Garnettus.*

§. IV.

Minime vero impedivit illa Canisii industria vel deterruit alios, ut non eodem scribendi genere uterentur, pluraque ejusmodi doctrinæ sacræ compendia in vulgus mitterent. Quæ enim copia, & qui, ut ita dicam, torrentes libellorum catecheticorum Canisianum exceperint, compendio si placet disce ex autore *Imaginis primi seculi societatis Jesu lib. 3.* qui *societas agens* inscribitur cap. 6. p. 354. *Joannes Ramirius laudatus ante concionator primus in Hispania in breves interrogationes ac minuta responsa concidit distinxitque Christianæ Institutionis capita ad teneræ ætatis ac rudium captum. Id ipsum deinde in Belgio imitatus est ingenti cum fructu Guilielmus de Pretere aliique. In Gallia Edmundus Augerius concinnavit evulgavitque Catechismum hæresibus profligandis opportunissimum. Eundem postea Gallice, Latine, Græce edidit, cujus exempla duo de quadraginta millia in una Parisiorum Lutetia octennio sunt distracta. Scripsit quoque Costerus noster Catechismum vernacula lingua, qui Catholicis inter hæreticos doctrinæ subsidio destitutis pro Doctore fuit, & innumeras animas à pestiferis erroribus vel defendit, vel deduxit, & unus plurium instar magistrorum fuit. Cum in Concilio Mechlinienſi, cui intererant Provinciales Episcopi, inter cætera decretum esset, ut Catechismus describeretur unus deinceps per totam Provinciam explicandus, Archiepiscopus Matthias Horius id negotii commisit societati, illa vero optimi Antistitis desiderio per Ludovicum Makeblidium impigre satisfecit. Quid memorem Robertum Bellarminum, quid Petrum Cottonium & innumeros alios, qui suis quig; temporibus & locis accommodatam doctrinæ Christianæ methodum vulgarunt? In Æthiopia Petrus Paëzius, in Sina Matthæus Riccius sua cujusque gentis lingva Catechismum composuerunt, qui libri per utrumque regnum dispersi ingentem venerationem fructumque retulere. Pari animarum utilitate & Mexicanis & Brasilis & Paraquarienſibus & Perujanis aliisque Ameri-*

mericæ populis doctrinæ Christianæ capita à nostris tradita. Ita Europa, Asia, Africa, America Societatis vocibus personant, scriptis juvantur, teneram rudemque turbam Christianæ vitæ officia docentis. Hisce addes Catecheses *Æthiopicè* vulgatas ab Alphonso Mendezio, Andrea Gvaldanio, Andrea Oriedo, Francisco Paccono, & Ludovico de Azeredo, *Anglicè* à Thoma Stephansono. *Brasilica lingva* edidit Antonius de Aravio & Emanuel Vega, *Cambro-Britanicè* sive *Wallice* Johannes Hugo Adoneus & Johannes Salisburius, *Arabicè* Johannes Baptista Romanus, qui *Hebraicè* & *Maronitice* etiam Catechismum vulgavit, ut *Gallice* tum prosa tum ligato sermone Michael Coysardus. *Germanice* Petrus Michael & Joh. Theodoricus Macherentinus, *Italice* Achilles Gagliandus, Rob. Bellarminus & Joh. Baptista Romanus, *Siculo idiomate*, Hieronymus Domeneccus, *Gallicè* item Adrianus Brunus, Amabilis Bonnefons & Nicolaus Cusanus Jesuita hujus nominis. *Græcè* lingvà, quæ hodie Græcis vernacula est ex Hispanico Jacobi de Ledesma, Vincentius Castagniola. *Hispanicè* autem præter Ledesmam institutiones Catecheticas edidere Honoratus Rio, Jacobus de la Fuente, Joh. Eusebius Nierembergius & Joh. Consalez de Losada. Flandrice præter Lud. Makeblidium Jacobus de Filegas. *Bohemice* Georgius Ferus, *Hungaricè* Gregorius Vafarellus, Livonice Ertmannus Tolgsdorf, *Polonicè* Joh. Wehalius, *Lithuanicè* Joh. Jachnowitz, *Carniolicè* Joh. Tsandek, *Japonensi lingua* Cosmas Magalianus & Laurentius Japo, *Malabaricâ* Henricus Henriquez, *Sinicâ* Matthæus Riccius, Michael Rugger, *Latina & Funchinensi* Alexander de Rhodes, *Concannicâ* Leonardus Cinnamus & Michael de Almeida. Prætermitto, quæ *Bengalanicâ linguâ* conscripta est à Francisco Fernantio, *Marilandicâ* ab Andrea Vito, *Gramnica* ab Antonio Ruyz de Montoya, *eâdem & aliis quatuor lingvis Americanis* ab Alphonso de Barzara, *Famulicâ*, *Badagica* & *Grandonica* à Roberto Nobilio, lingvis denique *Tuccumanicis* à Petro de Anasco. Tantum & majorem numerum Catechismorum mirabili lingvarum & idiomatum varietate à solis prodiisse Jesuitis docent nos *Ribadeneira*, & qui post eum Bibliothecas Jesuiticas concinnarunt *Alegambe & Sotwellus*.

§. V.

Agite jam Papæi, & audete negare Catechismos Lutheri beneficio vobis restitutos. Laudo candorem *Antonii Possevini*, qui loco supra adducto p. 45 ingenuè: *Quid ergo? si ita posthac fiat, ut Catechismum doceamus, existimabit populus*, NB. *aut hoc manasse ab aliis, aut hactenus nos dormitasse. Atqui* NB. *ut verum utrumque est, ita Christiani hominis est potius culpam suam agnoscere, quam Reipubl. periculo tegere privatum vitium.* Transeo alia loca, illum maximè p. 10. in quo calamum felle quidem tin-

tingit; primo tamen nos methodum Catecheticam postliminio in Ecclesiam reduxisse adfirmat. Neque tamen pari successus felicitate Lutheri laborem Catecheticum imitatos fuisse fidei suæ necessarios Serenissimus Hassiæ Landgravius *Ernestus* in Catholico discreto Sect. III. cap. II. Sect. 1. & 2. p. 429. seq. fatetur: Und hat es der in vielen sehr rühmlich ob schon Lutherische Fürst / Herr Hertzog Ernst von Sachsen Gotha / mit der unterweisung und examination des gemeinen bürgers und bauersmanns gar weit gebracht / ob er schon manchmahl ziemlichen undanck darmit verdienet. Sect. 2. Müsse secundum ordinem Romanum in der allgemeinen landsprache in zweyerley format gedruckt sich finden / (1.) ein kleiner kurtzer / vor die kleinen jungen kinder / (2.) ein weitläufftiger zwey biß dreymahl so groß als der erste vor die erwachsene / wenn sie das erste mahl zur Communion und Confirmation admittiret werden sollen / daraus ein ieder Christgläubiger mensch mit fundament sagen könne / ich weiß warum ich an GOtt und eine ewigkeit gläube / und keiner andern religion seyn kan noch will / als allein der Römisch-Catholischen ihrer / welcher Catechismus denn zu Rom durch gelehrte und erfahrne Theologos erst zwar in Latein concipiret und gedruckt / hernach in alle gemeine landsprachen transferiret / und alsdenn in Romanâ Ecclesiâ kein anderer nicht zugelassen und vom Pastore alle sonntage nach mittag fleißig getrieben werde / an statt der exempelchen / hätte bald gesagt mährlein / oder subtilen fragen &c.

Caput V.

Et cantus in lingva vernacula & ipsorum carminum formam Ecclesia Rom. Luthero debet.

§. 1. *Hymnorum usus in Veteri Ecclesia. Frustra improbatus à Zwinglio ejusque asseclis. Ante Lutherum præter Hussitas vix erant qui hymnis vernaculis uterentur. De eorundem per Lutherum restitutorum utilitate testimonium Thomæ à Jesu.*

§. 2. *Locus Adami Conzenii. Pontificii à Luthero discunt hymnos vernaculos adhibere adeo ut ipsos etiam exscribant à Luthero compositos.*

§. 3. 4. *Plagium Cantionalis Moguntini ex hymnis Lutheri & Lutheranorum.*

§. I.

SEd pergendum ad reliqua Megalandri nostri εὐεργετήματα. Hymnos dico Ecclesiasticos, qui jam antiquissimis temporibus (vide *Plinium* lib. X. Epist. 97. Philonem lib. de vita contemplativa, Lucianum in Philopatri, Ignatium Epist. ad Rom. & Ephes. Justinum, sive quisquis demum autor, Quæstion. & Respons ad Orthodoxos qu. 107. *Tertull.* Apol. c. 2. Augustinum Lib. IX. c. 6. confession. *Photium* in Nomo Can. tit. 3. *Voëtium* Politicæ Eccles. P. I. c. II. p. m. 522. Cardinalem Bonam de divina Psalmodia, Mabillonium in disquisit. de cursu Gallicano, Thomam Comberum in Historia de generali & primitivo usu liturgiarum Anglice ante paucos annos editâ, B. Quenstedium Antiquitat Eccles. p. 473. Clarissimus Schurzfleischius in Exercitatione de Hymnis Ecclesiæ Veteris, & quæ nos nuper ad Concordantias Hymnorum Ecclesiasticorum à plur. Rev. Georgio Serpilio adornatas præfati sumus) alteram partem cultus publici fecerunt. (Zwinglii enim impios Sarcasmos jam aseclæ quoque illius passim improbant & abominantur conf. *Voet.* l. c. *Hoornbeck* Miscellan. Lib. I. cap. XI. 306. seqq & in summa Controversiar de Browniistis p. 686.) Hos Lutherus vernacula lingva decantandos instituit & piissimas formulas ipse præscripsit. Quid verò ante Lutherum (excipio hic meritò Hussitarum pietatem, de qua consulendum Esrorum Rudigeri procemium libri II. paraphraseos Psalmorum, cujus testimonium huc spectans occurrit etiam post Joach. Camerarii Historicam narrationem de fratrum Orthodoxorum Ecclesiis in Bohemia Moravia & Polonia, p. 290. seqq.) Monachi & Moniales Psalterium Latinum decantabant ad ravim usque suam & fastidium Laicorum, qui nec Amen quidem addito societatem fidei profiteri poterant. Imo nec ipsi Ascetæ magis quod canerent intelligebant in illa seculi imperitia, quam Bileami asina hero suo injuriarum actionem intentans. Quantùm verò emolumenti afferant hi hymni ad devotam DEI agnitionem, atque emendationem vitæ; planè lignеus & saxeus qui ignorat, impius, qui negat. Loquatur *Thomas à Jesu* Carmelita Lib. VIII. de Conv. Gent. P. II. p. 541. *Cantilenæ vernaculo idiomate, quam plurimæ ex ipsiusmet Lutheri officina sunt profectæ, mirum est quam promoveant rem Lutheranam. Quædam sunt Catechisticæ, quædam dogmaticæ, aliæ æmulantur Psalmos pios, recitant exagitantque Christianorum vitia seu vera seu ficta, &c.*

§. II.

Admoniti igitur & hîc Papæi pudendam negligentiam exuerunt. Audi *Conzenium* Jesuitam lib. II. Polit. c. 19. f. m. 100. modo reducendæ veræ Religionis: *Hymni Lutherici animas plures quam scripta & declamationes occiderunt* (verba corrige Lojolitæ, *servarunt*) *quidni igitur NB. hoc ad medici-*

nam

nam usurpet Princeps Orthodoxus (Papista, scilicet!) *quod ad perniciem impostores* (hac injuria & Christum affecerunt Pharisæi, Beatus hinc Lutherus!) *excogitarunt*. Adde eundem *lib. VI. Polit. c. VI. p. m. 350*. Et postquam semel errorem agnoverunt, secuti sunt *Moguntini*, qui in *Cantionali* suo hymnos B. Lutheri & non sine plagii literarii crimine plerosque integros aut blasphemè interpolatos retinuerunt.

Reddam illorum, quæ jam scripsi, rationem.

Mäyntzisch-Gesangbuch. Catholisch Cantual,
das ist alt und neu
Mäyntzisch-Gesangbuch/
darinnen die außerlesenste theils alte / theils neue Catholische / Latein und teutsche gesänge/ so man das gantze jahr durch in den Kirchen / Sodalitäten / Processionen / und sonsten zu singen pflegt / sampt dem Basso Generali ad Organum begriffen. Anitzo vom neuen übersehen und verbessert.
Cum gratiâ & Privilegio, &c.
Gedruckt und verlegt zu Mäyntz
durch Christoph Küchlern / Anno 1679.

Primum certè carmen Lutherani est autoris &c.

Des morgens wenn ich früh auffsteh / und des abends zu bette geh. &c p. 1.

p. 24. Hymnus Christum wir sollen loben schon / ad verbum exscriptus occurrit, uti à B. Luthero pridem concinnatus fuerat.

p. 27. Versio & Compositio iterum ipsius Lutheri est, quam verbotenus retinent:

Der tag der ist so freudenreich allen creaturen / denn GOttes Sohn vom himmelreich / über die nature / von einer Jungfrau ist gebohrn / Maria/du bist auserkohrn/ daß du Mutter wärest / was geschah so wunderlich / GOttes Sohn vom himmelreich / der ist Mensch gebohren / &c. Hymnum Lutheri p. 29. Vom himmel hoch da kom̃ ich her/ &c. ita canunt: Es kam ein Engel hell und klar / von GOtt auffs feld zum hirten dar / die waren gar von hertzen froh/ und sprach frölich zu ihnen also:

Vom himmel hoch da komm ich her / und bring euch viel der neuen mähr/der guten mähr bring ich so viel / davon ich singen und sagen wil.

Der HErre GOtt im höchsten thron / hat euch gesandt seinn lieben Sohn / der euch ist heut ein Mensch gebohren / von einer Jungfrau außerkohrn.

Zu Bethlehem in Davids stadt / wie euch die schrifft hat lang gesagt. Das ist eur Heyland JEsus Christ / drumb fürcht euch nicht zu dieser frist.

Das neugebohrne Kindelein / das liegt in einem krippelein. Mit windelein ist es eingehült / der alle ding mit krafft erfüllt.

Darnach kam bald eine grosse schaar / der lieben Engel hell uñ klar / die sungen gar ein schönes lied / und freuten sich gar hertzlich mit.

Sie sprachen GOtt sey preiß und danck / dem singen wir den lobgesang / den menschen sey auff erden fried / den solchs auch wohl gefället mit.

Die hirten giengen allgemein und suchten dieses Kindelein / sie funden es wie der Engel sagt / mit Maria der reinen Magd.

Biß willkommen du Kindlein zart / wie liegstu so elend und hart / du König / Schöpffer aller ding / hält dich dein Volck so gar gering?

Hastu denn sonst kein herberg hie / daß du must liegen bey dem vieh / dein küßlein ist ein dürres graß / davon ein rind und esel aß.

Der sammet und die seiden dein sind gar geringe windelein / wie ist die geburt so arm und schlecht / doch saget uns der Engel recht.

O liebes Kindlein bloß und arm / dich unser aller heut erbarm / wir wollen dir auch dienen gern / als unserm liebsten Christ und HErrn.

Gelobet sey der höchste GOtt / der uns so hoch geliebet hat / dem singen wir mit einigkeit / lob / preiß und danck in ewigkeit.

Lutheri est p. 31 Gelobet seystu JEsu Christ: Cui pauca addiderunt: Gelobet seystu JEsu Christ / daß du Mensch gebohren bist / von einer Jungfrau rein und klar / des freuet sich der Engel schaar. Alleluja.

Gelobet sey die Jungfrau zart / von der Christus gebohren ward uns armen sündern all zu trost / daß wir durch sein blut würdn erlöst. Kyrieeleison.

Gelobet sey der Engel-schaar / die bey der geburt auch war / und sang dem kleinen Kindlein lob / auff erdn und auch im himmel drob. Kyrieeleison.

Des ewigen Vaters einig Kind itzt man in der krippen findt / in unser armes fleisch und blut / verkleidet sich das ewige gut. Kyrieel.

Den aller weltkreiß nie beschloß / der liegt in Marien schoß / er ist ein Kindlein worden klein / der alle ding erhält allein. Kyrieel.

Das ewige Licht geht da herein / und giebt der welt einen neuen schein / es leucht wohl mitten in der nacht / diß licht hat uns das Kindlein bracht. Kyrieeleison.

Der

Der Sohn des Vaters GOtt von art / ein gast in der welt hie ward / und führt uns aus dem jammerthal / und macht uns erben in seinem saal. Kyrieel.

Er ist auff erden kommen arm / daß er sich über uns erbarm / und in dem himmel mache reich / uns seinen lieben Engeln gleich. Kyrieel.

Nun bitten wir gar hertziglich / daß du uns wollest gnädiglich an leib und seele wohl bewahren / wann wir aus diesem elend fahren. Kyrieeleison.

§. III.

p. 40. Versionem Lutheranam nec syllaba mutata retinent:

Ein Kind gebohrn zu Bethlehem.

p. 152. Da JEsus an dem creutze stund &c.

p. 180. Parodiam Hymni Ristiani ita concinnarunt. O traurigkeit.

O traurigkeit / o hertzeleid / ist das nicht zu beklagen / GOttes Vaters einigs Kind wird zum grab getragen.

O höchstes Gut / unschuldigs blut / wer hätt diß mögen dencken / daß der mensch sein Schöpffer solt an das creutz auffhencken.

O heisse zähr / fließ immermehr / wen solt diß nicht bewegen / weil sich über Christi tod auch die felsen regen.

Es muß ja seyn aus marmelstein der Jüden hertz gewesen / weil sie nur zu solcher pein lachten / wie wir lesen.

Wie grosse pein / Maria rein / leidest über die massen / dann du bist von jederman gantz und gar verlassen.

Wie schwer ist doch der sünden joch / weil es thut unterdrücken GOttes Sohn / als er das creutz trug auff seinem rücken.

O grosser schmertz: O steinern hertz steh ab von deinen sünden / wann du wilt nach deinem tod / GOttes gnad empfinden.

p. 322. Erstanden ist der heil. Christ verbotenus.

p. 347. Hymnum Nun bitten wir den heiligen Geist / quem alioqui non dubitarunt variis sarcasmis & calumniis impetere Pontificii, vindicatum à nobis in dem Reisenden Lutheraner ins pabstthum p. 437. seqq. jam paucis immutatis exscribero ex Odariis nostris non erubescunt:

Nun bitten wir den heiligen Geist um den rechten glauben allermeist / daß er uns behüte an unserm ende / wenn wir heimfahren aus diesem elende. Kyrieeleison.

p. 358. Versionem Lutheri Te Deum laudamus paucis immutatis ita adhibent:

Dich GOtt wir loben und ehren/dich bekeñen wir unsern HErrn. GOtt den himml. Vater in ewigkeit / all creaturen loben weit und breit.

Dem neigen sich die himmel / Engel und Cherubim / dem singen die feurigen Seraphim / Heilig/heilig / heilig ist GOtt/ der allmächtige HErr Sabaoth.

Der himmel und auch die erden weit/seyn voll deiner ehr und herrligkeit/der heiligen Apostel-chor / auch der Propheten auserlesene schaar.

Auch der großmüthigen Martyr-zahl loben dich zugleich mit grossem schall/ die gantze werthe Christenheit dich lobt und preiset allezeit.

Dich Vater in dem höchsten thron/ seinm einigen lieben wahren Sohn/dem Tröster auch und heiligen Geist gebührend lob all ding erweist.

O König der Ehren JEsu Christ / des Vaters ewiger Sohn du bist/ der Jungfrau leib nicht hast verschmäht zu erlösen das menschliche geschlecht.

Du hast zerstöhrt des todes macht/ die gläubigen zum leben bracht. Zur rechten GOttes ist dein Sitz / wohl auff des höchsten himmels spitz.

Ein Richter du zukünfftig bist/alles was todt und lebendig ist / wir bitten / hilff den dienern dein / die mit deinem blut erlöset seyn.

Mach uns mit deinem heiligen heer theilhafftig der ewigen ehr/gib deinem volck gnad/trost uñ heyl/ und segne uns als dein erbtheil/erhöhe uns in ewigkeit.

All tage HErr preisen wir dich/ loben deinen Nahmen ewiglich / thu uns gnädig behüten heut/ für sünd und ungerechtigkeit.

Erbarm dich unser o HErre GOtt und steh uns bey in aller noth/ über uns komm dein Barmhertzigkeit / wie wir von dir hoffen ietzt und allezeit.

p. 373. Ipsius Lutheri Canticum. GOtt sey gelobet und gebenedeyet. &c.

p. 549. GOTT der Vater wohn uns bey ꝛc. cui impiè nonnulla addiderunt.

GOtt der Vater wohn uns bey und laß uns nicht verderben/mach uns von allen sünden frey und hilff uns selig sterben / vor den teuffel uns behüt / durch einen rechten glauben / bewahr uns vor der höllen-gluth / durch ein hertzlich vertrauen / wir befehlen dir gantz und gar in allen unsern nöthen / daß du uns all behüten wollest / vor dem ewigen tode. Kyrie eleison / Christe eleison/ Kyrie eleison. Gelobet sey GOtt und Maria.

JEsus Christus wohn uns bey / und laß uns nicht verderben / mach uns all unser sünden frey / und hilff uns seelig sterben / vor den teuffel uns behüt &c.

GOtt

GOtt heiliger Geist wohn uns bey / und laß uns nicht verderben &c. wie oben.

Heilige Dreyfaltigkeit wohn uns bey / und laß uns nicht verderben ꝛc. wie oben.

Maria Gottes Mutter wohn uns bey / und hilff uns gnad erwerben / daß wir der Sünden werden frey / und endlich selig sterben / deine vorbitt uns mittheil / reine magd Maria / zu erlangen ewiges heyl / daß singen wir Alleluja. Alleluja singen wir / GOtt und dir zu lobe / daß er uns erzeigen woll / seine Göttliche hulde / Kyrie eleison / Christe eleison / gelobt sey GOtt und Maria.

O heilige Engel wohnt uns bey / und helfft uns gnad erwerben / daß wir von sünden werden frey / und endlich selig sterben / euer vorbitt uns mittheilt / wie auch thut Maria / zu erlangen ewigs heyl / so singen wir Alleluja. Alleluja singen wir / GOTT und euch zu lobe / daß er uns erzeigen woll seine Göttliche hulde / Kyrie eleison / gelobt sey GOTT und Maria.

p. 582. Lutheri Vater unser im himmelreich:

Vater der du bist / Kyrie eleison / im himmel da ewige freud ist / o Vater mein / erbarm dich unser auff erden / auff daß wir deine liebe kinder werden.

Geheiliget werde der Nahme dein / Kyrie eleison / du wollst uns sündern gnädig seyn / o Vater mein / erbarm dich unser auff erden ꝛc.

Verleih uns HErr das himmelreich / Kyrie eleison / auff erden wie im himmelreich / o Vater mein ꝛc.

Gib uns o HErr! das tägliche brodt / Kyrie eleison / behüt uns vor der sünden-noth / o Vater mein ꝛc.

Vergieb uns HErr all unser schuld / Kyrie eleison / erhalt uns auch in deiner huld / o Vater mein ꝛc.

Und führ uns in versuchung nicht / Kyrie eleison / hilff wann uns der böse geist anficht / o Vater mein ꝛc.

Von allem übel uns erlöß / Kyrie eleison / hilff daß wir ewig werden getröst / o Vater mein ꝛc.

Plura ejusmodi carmina addere possem, quæ Liber Canticorum Moguntinus refert, & ex Catholicis desumta esse adfirmat, ipsius interim Lutheri & fidei Evangelicæ necessariorum labores, nisi hæc sufficere crederem.

CAPUT

CAPUT VI.

Indulgentiarum nundinatio in angustias quod sit redacta, reformationi B. Lutheri adscribere necesse habent Pontificii.

§. 1. *Quam durum jugum indulgentiarum ante Lutherum.* *Querelæ* Wesseli Gröningensis.

§. 2. *Luthero monente illud fere cessavit.* *Testimonium* Laur. Surii & Episc. Tornacensis.

§. 3. *Paræneſis ad Pontificios, ut denique veritatem agnoscant eique locum concedant.*

§. I.

NOn pietati modo vestræ, sed & loculis consuluit optimus Lutherus, ô Viri Papæi, quos intra Laicorum classem conjicit sacri rasique ordinis ambitiosum supercilium. Evacuebantur antea crumenæ vestræ impiis sacrilegarum indulgentiarum (quas hactenus lectionibus publicis exposuimus) nundinis & nefarii institores veniæ ex peccatis vestris heluabantur, epulabantur, scortabantur. Quæ res tantam habuit indignitatem, ut plerique modestiorum ex vestra religione tam impiam mercaturam exsecrarentur: unicum nunc allego *Wesselium* Groninganum, qui ob suas contra indulgentias institutas disputationes dictus est *Magister contradictionum:* plures *Heideggerus* Anatom. Conc. Trid. p. 1203. dabit. Videbant nempe pro Simone Petro Romæ regnare Simonem Magum, & turpissimis exactionibus exhauriri loculos, offendi conscientias.

§. II.

Quis autem huic morbo formulam præscripsit? Quis divina animi magnitudine se opposuit? quis pacem conscientiis, tranquillitatem rebus, securitatem loculis reddidit? Divus certe Lutherus. Magnificè, inquis, hæc & numero dicis. Sed audi, ô Papicola, si mea tibi fides subtesta, *Laurentium Surium* Tuum tibi sisto, is in Appendice ad Chronicon Naucleri Jen. II. col. 566. ita: *Quia interdum non parvi abusus ejusmodi Indulgentiis evulgandis sese immiscuerant, inde sumpta occasione Lutherus primum in Indulgentiarum immodicos quosdam & sordidos suo duntaxat quæstui inservientes buccinatores acriter invectus est, &c. In ipsis hujus Tragœdiæ initiis visus est Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo telo moveri, planeque nihil spectare aliud quam Ecclesiæ reformationem, cujus quidam deformes abu-*

abusus non parum male habebant bonos omnes. Et Episcopum Tornacensem, *Epistolæ Pastoralis ad fideles diœcesis Tornacensis de Cultu Beatissimæ Virginis Mariæ & aliorum Sanctorum, occasione libelli cujus titulus est Monita Salutaria B. V. Mariæ ad Cultores suos indiscretos* Insulis ex officina Nicolai de Rache. p. 18. *Sanè si Lutherus Ecclesiæ Catholicæ Præsulibus tantùm aperuisset, quæ circa Indulgentias peccabantur, laudandus planè erat ipsius zelus, coërcendi fuerant ii, qui concessis ad bonum Ecclesiæ Indulgentiis per summam & ad omne scelus projectam audaciam impudentissimè abutebantur. Hoc deinceps fecit sanctissima Tridentina Synodus. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Indulgentiarum nundinatio damnanda erat etiam tempore Lutheri, & quæ super ea re reformanda monuit reformari debuerunt.* Imo ipsi *Tridentini Patres* Rom. Vejovis mancipia quique non ex tripode sed ex mantica tabellarii Rom. responsa dabant, videntes scelus hoc inexpiabile originem bello sacro dedisse, serâ licet pœnitentiâ ducti, ita culpam fatentur, & hoc decreto Lutheri beneficium agnoscunt. Sess. XXV. decreto de *Indulgentiis. Abusus vero, qui in indulgentiis irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omninò abolendos esse. Cæteros verò, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosq; in primâ Synodo provinciali referat: ut aliorum quoque Episcoporum sententia cognitâ, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate & prudentia, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur.* Et tantum hac vice. Plura enim testimonia in diss. de Leonis X. processu per Pontificios improbato dedimus.

§. III.

Vos autem, ô Tridentinæ fidei assertores, appello. Aperite vel nunc oculos, quos malevolentia & obtrectatio clausit. Quid attinet vespertilionum more excludere lucem & ad tantam meridiem connivere? Tanta sunt merita Lutheri nostri, quæ in vos quoq; redundant communi utilitate, ut vestrorum multi, quod vidistis, (utinam maxima Divi Viri beneficia, quale pura Verbi Divini prædicatio est, etiam admitterent,) negare non ausint. Sed obstrepat inconsultus religionis fervor & quædam maledicendi libido. Ita fit ut maledictis & convitiis plerique vestrûm benefactorem incessere malint, quàm silentio saltem

merita premere, quod tamen quoque esset animi parum ingenui. Agnoscite igitur & hæc & his multo majora beneficia. Ita namq; & Ecclesiæ commoda auxeritis, & conscientiæ feceritis satis. Illi verò, qui illudunt, cavillantur, maledicunt & veritatis cursum pro virili parte sufflaminant, noverint aliquando sibi reddendam rationem ad tribunal Jesu Christi, ubi postquam causa ceciderunt, inutili pœnitentia inter æternos cruciatus animos macerabunt.

TE verò æterne Pater & Stator hujus Academiæ clementissime, cum Filio & Spiritu S. suppliciter veneror, ut hanc cathedram Lutheri, ex quâ tot beneficia in universam Ecclesiam tua gratia fluxerunt, ab omnibus corruptelis puram sanctamq; conservare velis. Tu rege atq; custodi hodiernæ diei, cujus A. 1517. autor fuisti, felicitatem ad mundi novissima. FIAT!

S. D. G.



IO.

JO. FRIDERICI MAYERI
S. Theol. Doctoris

DE

MORTE
CAROLI V. IMPERATORIS
EVANGELICA

DISSERTATIO

Ad

SUMME REVERENDUM

VIRUM

DN. D. JO. ADAMUM OSIANDRUM.

ECCLESIÆ EVANGELICÆ SOLATIO,
ATQUE PIGNORI,
DN. D. JO. ADAMO OSIANDRO,
THEOLOGO IN ACAD. TUBINGENSI
PRIMARIO.

S. P.

QUamvis verear, VIR SUMME, ut in partem audaciæ quis interpretetur ignorantis mensuram suam, quod Diatriben hanc, quæ subito calore & quadam festinandi voluptate mihi fluxit, Tuo Nomini inscribam, cujus judicium subactissimum quicquid usquam literatorum est non absre reformidat; Tanta tamen placendi Tibi dulcedo fuit, ut maluerim hanc famæ aleam subire, quam non hisce schedis affectui meo præludere, id est, pyramidi tuæ insculpere nomen proletarium. Et videntur manubiæ, jure etiam belli, ad Imperatorem pertinere, cujus ductu miles locupletatus est. Tuo quippe hortatu, Ecclesiæ Pignus, hæc prælia aggressus sum; Suscipe igitur qualecunque opusculum, ea fronte, quam literæ ad me datæ profitentur, custodiunt. Hac fretus superfedeo asperiorem limam deprecari. Serum autem sit illud crepusculum, quo tantæ virtutis radii condantur, quam quia bona fide colo, illius Sacerdotem non possum non amare, vel, si hoc familiarius, venerari. Vale!

Magni Nominis Tui

indefessus admirator

Grimmæ è Musæo 13. Febr. Anno 1682.

JO. FRID. MAYER. D.

ME-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0116
DFG

MEMENTO MORI
LECTORI SUO PROUT CUJUSQUE CADUCA
DIGNITAS CAPIT HONORANDO
ADCLAMAT
ILLUMQUE AD CAROLI V. TUMULUM
MORTIS MEDITANDÆ CAUSA,
HOC EST,
AD RECITATIONEM
DE
MORTE
CAROLI V. IMPERATORIS
EVANGELICA,
QUAM SYNODALI COLLOQUIO
D. XIV. DECEMBR. V. D.
ANNI EX ACERBIS FUNERIBUS CLARISSIMI
NUNC AGONIZANTIS
M. DC. LXXX.
HORA VIII. MATUT. IN TEMPLO B. VIRG.
PRÆMITTET,
REVERENTER, OFFICIOSE, AC FRATERNE
TERRAS TERRA
INVITAT
JO. FRIDERICUS MAYER,
DOCTOR THEOL ET ECCL. GRIMMENSIUM
SUPERINTENDENS.

I. N. J.

Eu quo prolapsæ sunt spes nostræ! Tam turbulento enim exordio uti, dolor amici jubet, *Auditores Ordinum omnium Honoratissimi*, qui loquentem impedit, tacentem strangulat.

Non vota modo, sed & spem concipiebamus bonam, si quis unquam annus ubertate gaudii publici insignis fuisset, illum hunc seculi decimi sexti octogesimum fore, quod ingentia divinæ Bonitatis erga Ecclesiam nostram beneficia seculari circuitu in memoriam revocaret.

Quo factum, ut vix effulserit ille, cum Jobelæos honores ipsi magno apparatu, pietate non minori deferre *Janus Georgius* Princeps Optimus, & fortissimus Evangelicæ fidei defensor, cum venerando Theologorum ordine meditaretur, *justum enim à solenni publicatione sanctissimi Formulæ Concordiæ libri* absolvebat seculum.

Nec deerant, quibus aliud lætitiæ solennis argumentum nasceretur ex *vigesimo quinto Junii die*, cui incunabula sua debet Augustana Confessio, quam in æternos annos cum sororibus nobis servet Clementissimum Numen! Hujus enim natalem quinquagesimum cùm centesimo idem annus referebat. *Sed ô spes hominum inanes, fallaces, lubricas, incertas!* Intercepta enim tanta publicæ gratulationis seges, velut infausto sidere in ipsa herba emarcuit. Gratulatur sibi de tam feralis anni fine afflicta Patria, stupet, & attonita hæret ad illius funestam memoriam, quam etiam fastis, atque annalibus suis negaret, nisi dolorum acerbitas subinde recrudesceret. Depopulatorem, Vespillonem, imo sepulchrum suum dicit, & verè dicit. Fidem adstruunt lamenta & lachrymæ, quas tot familiæ, quid familiæ? tot pagi, quid pagi? tot urbes, imo universa, quâ patet, Saxonia, & in hac infiniti orphani, viduæ innumerabiles, subditi omnes, ubertim profuderunt. Hæc nostra fuere jubila, ut næniis, & complorationibus omnia flebiliter resonarent, & lamentabilis Echo totam viciniam impleret. Hic labor unus erat, otia Musis tædiosa, & Viris supra exemplum de Re publicâ & literariâ meritis, si non funus, fugam tamen, &, ne quid durius dicam, in sordidis sæpè viculis exilium indicere. Ad cœmiteria verò misera damnabatur Patria, & ab hominum commercio sua quemque formido abstrahebat.

Atque utinam intra plebeja funera stetisset Libitinæ ratio! Ad majora damna infelices destinaverat cœli Vindicta, criminibus nostris accensa. Tibi quippè, *Heinrice Frisi*, Domine, in quantum Virtus laudari potest, æternum celebrande, quanquam dubitem, an laudibus Tuis ulla sufficiat facundia, Tibi, *Generosissime Heinrice*, irreparabili Patriæ & Rei Literariæ damno, parandæ erant hoc anno exequiæ! Nec satis. Sequebantur ingentia Heroum funera, ad quæ deploranda nec lachrymarum imbres sufficiunt.

Fatum *Augusti* intelligo, Principis verè Augusti, cujus cineres dum componimus mœsti, tristissima vox infelices nos tantum non occidit.

Horreo ad sequens calamitatis nomen, & suspiria vocem penè intercludunt, eloqui, *Auditores*, non sustineo; in Tuo enim funere, Dive *Joannes Georgi*, ipse, cum fidissima Patria, funus sum.

Inter tot miserias, quarum magnitudinem nullus verborum apparatus æquare satis poterit, Tu nobis solatio eras, Incomparabile Ecclesiæ Pignus, &

Præ-

Præsidium, *Martine Geiere*, tuam depoſcebat ſollicitè opem, Tuæ apud juſtiſſimum Vindicem interceſſioni ſqualida & anxia Patria ſe credebat, at durum verbum! Tu quoque nobis eripiebaris, (propoſuerat enim præſens annus noſtris diteſcere velle damnis) cujus obitu univerſa Eccleſia purior, univerſus quacunque patet Chriſtianus Orbis tanquam immedicabili vulnere ſauciatus eſt, imò propemodum confoſſus.

Heu quo prolapſæ ſunt ſpes noſtræ!

O Annum ſupra Exemplum ferè luctuoſum. Si enim per Annalium veſtigia retrocedere, & quicquid memoriarum veterum cuſtodia ſervavit, excutere velimus, longo itinere opus erit, priusquam occurrat aliquis, intra cujus anguſtias tot damna compegerit Germaniæ fatum.

Negandum tamen non eſt, hunc noſtrum miræ, ſed ferali ſimilitudine exſcripſiſſe illum annum, qui Carolo V. Imperatori Glorioſiſſimo feralis fuit. Erat autem is ſeculi ſuperioris quinquageſimus octavus, qui dum vertitur, plurimi Principes, & maximi Viri, ex rebus humanis exceſſerunt. Obiit Carolus V. Imperator, obiêre ſeptemviri Auguſtales (ſi *Stradæ* fidem habeas) duo, Colonenſis ac Palatinus (neque etiam faventior Palatinatui præſens anni circulus extitit; namque ſubtraxit incredibili terræ ſuæ, &, quod in Principe mireris, totius Literarii Orbis luctu, Eruditiſſimum Principem, *Carolum Ludovicum*, cujus encomium facundiæ tuæ, Magnum Academiæ Heidelbergenſis lumen, Amice Optume, Celeberr. ac Diſertiſſime *Franckl*, relinquam.) Obiêre Theologi ingentium in Eccleſiam meritorum, *Johannes Bugenhagius*, *Juſtus Menius*, *Erhardus Schnepfius*; obiêre præſignes Viri, *Magnus Scaliger*, *Tiraquellus*, *Fernelius* (heu quanta nomina!) Quibus ſi noſtram jacturam, quam res literaria non ita pridem in *Athanaſio Kirchero*, & *Thoma Bartholino*, paſſa eſt, comparaveris, penè paria feceris. Sed neſcio, quo me dolendi quidam impetus abſtulit! Colligendus erit vagus ille adfectus, & eò traducenda oratio, cujus cauſa cathedram hanc occupavi.

Obiiſſe Carolum V. Imperatorem morte Evangelicâ, hoc eſt, ad regulas artis moriendi Lutheranorum, probare decrevi. Et ne quis me lites ſtudiò ſectari judicet, ſollicitavit me præprimis ad hanc operam *Marci Schönmanni* Jeſuitæ, Doct. & Profeſſoris Theologi Academiæ Erffurtenſis, impudentia, qui plurimis à me ſcriptis per Dei gratiam ad ſilentii infamiam adactus, nuper in Libra Danielis, hæc tantummodò adverſus me, & Virum laude meâ majorem *Dn. D. Sagittarium*, murmuravit. Kan denn etwas / herßlieber leſer / von der warheit weiter entfernet ſeyn / als ſagen / daß der ſchnee nicht weiß ſey; der gantze erdboden mit höchſter geſchwindigkeit herum fugele / die abgeſtorbenen leiber dem gefühl und der empfindligkeit nicht

unter-

unterworffen seyn / der allerklügeste und gelehrteste unter allen heyden habe nicht ein eintzig mahl in seinen weitläufftigen und hochgepriesenen büchern die warheit geschrieben ? Ja freylich will ich dir noch etwas wunderbarlichers und lügenhafftes fürbringen. Was ist das? Es ist dieses: Daß der Großmächtigste / unüberwindlichste und gottfürchtigste Käyser Carolus V. sey Lutherisch gewesen / und in dem Lutherischen glauben gantz sanfft und seelig im HErrn entschlaffen / wie denn dieses D. Mayer und D. Sagittarius ungescheuet verschienen jahres haben schreiben dörffen. Das lasse mir eine neue zeitung seyn! an welcher Catholische leute / die nur etwas umb händel wissen / woferne sie mit kranckheit beladen wären / sich möchten gesund lachen. Ja ich halte dafür / daß Carolus V. wenn er solte von den todten wiederum zu uns lebendigen kommen / dermaleins lächeln würde: ob er zwar nicht weniger als längst vor Ihm Carolus Magnus dem lachen sehr feind und abhold gewesen. Hæc Schönmannus.

Franciscum Robortellum ferunt, cum Caroli V. laudes funebri oratione exponere statuisset, in ipso dicendi exordio fuisse collapsum, animo sensibusque ita turbatum, ut coactus orationis vela expandere, velut vento destitutus, in medio cursu hæserit, iniquisque omnium sermonibus fuerit exceptus. Non illud de me sibi promittat Schönmannus, felicissimè ad finem, ex veritatis, quam defendo, fiduciâ, recitationem hanc deducam, neque hoc à Vobis metuo, *Auditores*, quos hujus causæ Judices lego; Attentionis enim assiduitatem, officii, quod jam geritis, conscientia jure suo à vobis exigit; religioso itaque favete silentio!

Compendia victoriæ, *Auditores Venerandi*, si consectari velim, possem adversarium uno velut ictu conficere, si ostendero illum jamdudum decoxisse fidem cum pudore, quando Illustrium Virorum exitus narrat; Quid æstuas Schönmanne, & nescio quid torvâ fronte minaris? Imò, si vir es, aude negare, tua esse, quæ de obitu *Jacobi Reihingii*, ex Lojolita constantissimi usque ad extremum halitum orthodoxiæ Lutheranæ defensoris, scribere non erubuisti. Ita autem in der vorrede des unüberwindlichen Zeughauses: Hie ist zeit / weil oben von P. Reihinck meldung geschehen / mit welchem die Lutheraner in allen ihren schrifften greulich prangen und pralen (ohn allen zweiffel / weil sie sonst keinen andern haben) zu avisiren und kund zu machen: daß P. Reihinck vor seinem tod einen Catholischen beichtvater begehret: wie aber ihm dieser abgeschlagen worden / er mit weinenden augen seinen abfall bereuet / seinen irrthum öffentlich wiederruffen / und also gut Catholisch gestorben sey. Und dieses können wir mit unläugbaren

baren zeugnissen beweisen. Es ist gut Lutherisch leben / und Catholisch sterben / das erste für den leib / das andere für die seele. Quos verò mihi, Marce, testes dabis, & tantæ quidem autoritatis, ut Confessionario & Socio tuo, Philippo Alegambe capistrum imponant? Hic Te mentiri, fucum vendere, magnâ, iniquâ tamen, & blasphemâ, ex more & ingenio Societatis tuæ, in veritatem Evangelicam voce clamat: * *Jacobus Reihinck, nat. Germanus, patriâ Augustanus, ordinis Patricii, qui post multos in Societate annos exactos, cùm etiam Serenissimo Duci Neuburgico, Wolffgango Gvilielmo, nuper ad Ecclesiam reduci fuisset à Concionibus, prolapsus in turpes amores, ordinem fidemque transfuga deseruit, factus errorum magister: ductâ domum pellice pro uxore, susceptis compluribus liberis, ita miser implicatus est, ut ad veritatis confessionem redire non sustineret. Sic in æternam mortem occubuit.* Vestrum arbitrium esto, *Auditores*, quam fidem mereatur homo in tàm aperto & turpi mendacio deprehensus & à Socio convictus. Quod si ex Rabbinorum proverbio *hæc Mendacis pœna sit, ut quando veritatem dicat, nec tum ei fidem habeant*, quis de Pontificiâ Caroli V. morte, quæ Schönmannus dixit, simplici credulitate recipiat.

Sed & fabulam esse, eumque nec in hâc narratione mentiendi suppressisse libidinem, mox ostendam.

Quid, Schönmanne, papisticè (veniam verbo precor, *Auditores*, dabo hoc desiderio horum hominum) quid papisticè mori est? Consulam Doctores vestræ Religionis ad mortem Hodegetas, Libros excutiam, ut vocatis, Symbolicos, atque ex his (ne de injuriâ doctrinæ tuæ illatâ querendi occasionem habeas) formabo sententiam.

Papisticè mori est *felicitatem æternam*, &, ne hâc excidas, adversus Diaboli insultus auxilium *non à solô Christo, sed à Maria, Christi Matre, ardentissimis rogare suspiriis;* Omnes hîc appello precationum Libellos, & famosam præprimis, nullique non familiarem orationis formulam: *Maria, Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Hanc etiam moribundis Drexelius tradidit: *O Mater Misericordiæ, Mater æterni Regis, perveniant ad te preces meæ! Scio, me peccatis meis graves pœnas commeruisse, sed tamen impetra mihi à Filio tuo misericordiam, ut, antequam moriar, ex animo convertar, & sinceram agam pœnitentiam! O Mater Domini, assiste mihi, & adjuva me patrociniis, & meritis tuis, in omnibus doloribus meis, & præsertim in ultima necessitate mea succurre mihi! O Mater afflictorum, non me deseras in horâ mortis meæ!*

* Phil. Alegambe Biblioth. Script. Soc. Jesu p. m. 209.

Istas cum plurimis aliis *Dies Parthenius*, * hoc est, consueta Marianæ Pietatis per diem exercitia, sodalibus Partheniis dicatus: *O clementissima, ô piissima, ô dulcissima Virgo Maria, propter ineffabilem misericordiam, & virgineum partum, eripe animam meam in ultima hora egressionis ejus à corpore, ab omni potestate, & invasione Dæmonum, ne cum ipsis impiis æternis deputetur incendiis, sed pro judicio tuæ inexhaustæ pietatis, & misericordiæ, restitue eam in Paradisum jucunditatis æternæ!* Et paulo post: *Subveni mihi Domina in hora resolutionis meæ, ne princeps tenebrarum mihi occurrat, nec potestas inferorum adversum me prævaleat. Nec patiaris, ô Virgo Dei, animam meam gehennalibus pœnis subjacere; sed eam ab æternæ mortis caligine libera, ipso auxiliante, & misericorditer concedente, quem tu concipere, parere, & lactare meruisti, Jesu Christo Filio tuo, Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen!*

Sequentem Jesuitæ Uratislavienses non ita pridem dederunt:

Ein sonderbar andächtiges gebet und gesang / zu der allerheiligsten und seligsten Jungfrauen / und Mutter Gottes Maria / umb ein seliges ende. Breßlau in der Baumannischen erben druckerey / druckts Christoph Jacob / Factor.

O Maria / ein trost aller sterbenden / wie ertattert mein hertz ob der stund des todes? wie grausam fürchte ich den allergefährlichsten streit der grimmigen geister? Ach! wie schwach bin ich gegen so starcken listigen feinden? Ach wie werden sie die ausfahrende seele ängstigen / genau durchsuchen / vergessene / ungebeichte laster auffrupffen? O schrecken / nicht des todes / sondern dessen / so nach dem tode folget! Eines weinens werde ich weinen / so lange mir der athem gehet / will ich nicht auffhören / dir zuzuschreyen / daß meine feinde mich nicht in ihre gewalt bringen / und sich erfreuen / sprechend: Itzt haben wir seine seel / wo ist nun seine Schirm-Frau Maria / auff welcher hülff und stärck er sich verlassen? O Jungfrau / wie wirds mir ergehen / wenn du mich nur einen augenblick verlässest? Laß nicht zu / allergnädigste Mutter / daß ich dir umbsonst so lange (wiewohl leider hinläßig) gedienet habe / solt denn ich vergebentlich in deiner brüderschafft dich so viel tausendmahl umb ein seeliges ende angeruffen haben? Solt denn JEsu leiden / blut und tod / die Heil. Sacrament / und deine

* DIES PARTHENIUS, hoc est: Consueta Marianæ Pietatis per Diem Exercitia, & Preces, primùm Herbipoli Sodalibus Partheniis, dicatus; Nunc denuo recusus Monachii, Formis Johannis Willhelmi Schell. 1660. p. m. 222. 223.

deine heilige fürbitt/ an mir gantz verlohren seyn? O ich tausendmahl elender mensch / wie viel verzweiffelte pfeil werden die teuffel in mein furchtsam hertz schiessen / sie werden mir GOtt gantz über mich ergrimmet fürmahlen / die höll eröffnen / den himmel verriegeln / tausend ungebüssete sünde herfür ziehen / oder mich vermessentlich und verstockt machen. O Jungfrau / was für gewalt / anlauff / sturm / tausend list werden sie brauchen in meiner letzten stunde? Das ist die stunde / ob welcher gedächtniß mein innerstes marck in beinen erzittert. Denn ich weiß / wie unmenschlich ich die augen deines Sohns / die heilige Dreyfaltigkeit / dich und alle Heiligen verletzet habe. Diß / o Maria / ist die allerschädlichste / gefährlichste / und mit unendlichen blutigen zähren zu beweinen zweiffelhafftige stund. O mein allerletzte stund / o stund / nach welcher kein augenblick mehr zur buß verliehen wird. O stunde / an der mein unendliches wehe / oder mein unendliches heil / und ewigkeit hanget. Wo der baum hinfällt / da liegt er ewig / fällt er in die höll / du hilfft / o Maria / weder dein / noch aller heiligen gebet und zähren. Obsiegen alsdenn meine feinde / so bin ich verlohren / so bin ich ewig von dir / O allerliebste mutter / von GOtt / von allen heiligen / von allen frommen / von aller hoffnung geschieden. O wehe / o wehe / fehlets mir in dieser stunde / so muß ich ins ewige feuer / mit leib und seel ewig brennen und braten / ewig verzweiffeln mit den verdampten teuffeln / mit welchen ich gesündiget habe / unaussprechliche ewige pein leiden. O ewig / wie lange? In ewigkeit. O ewig / wie bitter? unendlich. O ewig / wie viel jahr? mehr als tropffen und sand am meer / mehr als laub und graß / mehr als alle engel von ewigkeit können zehlen. Es ist da kein end / sondern ewig sterben / und nicht gar können sterben / keine erlösung / keine gnad / so lange dieser GOtt wird seyn. Da wird seyn ewiges graußgrammen / heulen / zähnklappern / ewiges ach und wehe schreyen / umb nur eine todtsünd / welche ich verschwiegen / nicht mit rechter reu / und fürsatz gebeicht / oder nur eine frembde sünde begangen. O blutige stunde / warumb schwimmt mein hertz nicht in blutigen zähren? Das ist die erschröckliche stunde / für welche ich tausendmahl zu dir / o Maria / mit flehen / hertzklopffen / seufftzen / täglich und stündlich / mit gantzem hertzen schreye. O heilige Maria / bitt für uns ietzt und in der stunde unseres absterbens. Jedoch / o gnädigste Jungfrau / o mein allerhertzliebste Mutter / das ist die stunde / in welcher ich unwürdigster unzweifflich hoffe / du wirst mich nicht verlassen / denn wie solltest du mit augen zusehen / daß meine arme seele von den teuffeln in die ewige marter solt geschleiffet werden? Solte denn alle mein beichten / die H. Sacramenten / und so viel tausend seufftzer

zu dir / mit einander verlohren seyn? Wie möchte doch solches dein mütterliches hertz erleiden? Solte da deine gewalt nicht stärcker seyn / als aller teuffel? dein güte nicht gröſſer / als meine sünde? O Jungfrau / alsdenn erscheine mir mild / trostreich und erwirb mir gnade vernünfftig / schmertzlich / vollkömmentlich vor dieser stunde zu beichten / und das heilige Sacrament würdig zu empfahen / so werden die teuffel weit dahinden stehen. Sage / o Jungfrau / Salus tua ego sum, Ich bin deine Mutter der barmhertzigkeit / vertraue mir / ich wil dich ewig nicht verlassen. Also / o aller honigsüſſeste Mutter / also stärcke mich / also suche mich heim / und tröste mich. O wie frölich wil ich mich in den willen Gottes ergeben? O Jungfrau / nimm meine heilige patronen N. N. und schutz-engel mit dir / aber du allein sprich meiner seelen zu / JEsus Maria. Nimm sie wie dein liebes Kind auff deinen arm / und trage sie JEsu / deinem Sohn / zu / er kan sie umb deinet wegen nicht verwerffen. Alsdenn wird sie sich mit dir ewig erfreuen / daß sie dieser erschrecklichen stunde glücklich entrunnen / alsdenn wird sie dich und deinen Sohn ewig loben / und dancken ewiglich. Das verleyhe mir GOtt Vater / Sohn / und Heiliger Geist / Amen.

Laudat hinc Justum Lipsium, omnibusque exemplo esse vult, Drexelius ita scribens: * Obiit Anno millesimo sexcentesimo quarto, 10. Calendas Apriles, Justus Lipsius, Vir eruditione, & scriptis clarissimus: Sæpè is sibi cum Augusto Euthanasian & facilem mortem exoptare consueverat, liberum etiam in illâ necessitate, & intrepidum animum. Utrumque votis accidit: nam unis tantùm quatuor diebus summum hoc egit, MORI. Toto hoc tempore nec scriptorum à se, nec studiorum ullum omninò fecit verbum: imò cùm solatii à stoicis magnam illi materiam supereſſe, quispiam insusurraret: illa sunt vana, respondit, digitoque in Christi crucifixi propè adstantem imaginem intento: Hæc, ait, est vera patientia, mox magno spiritu subjecit: Domine Jesu, da mihi patientiam Christianam. Morbi invalescentis initio, prima illi cura fuit, sacris Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ unctionis purgari, muniri, foveri Sacramentis, piorum precibus assiduè ardenterque expetitis, & in altum oculis manibusque moribundis sublatis, sic piè ipse precatus est: ô mater DEI, adsis famulo tuo cum totâ Æternitate decertanti, & non me deseras in hâc hora, à quâ pendet animæ meæ salus æterna. Habemus hîc, mi Christiane, viri Catholici exemplum nobile: nos itidem à Christo DEO, & à beatissimâ Virgine, DEI parente, eadem quotidiè efflagitemus, & ardente animo de die sæpiùs dicamus: ô Christe JEsu,

* Drexelius Consid. V. de Æternitate p. m. 18. adde Auberti Miræi Vitam Justi Lipsii Opp. præmissam p. m. 26.

JEsu, ô mater DEI, adsis famulo tuo cum totâ æternitate luctaturo, & non me deseras in illâ horâ, à quâ pendet animæ meæ æterna salus. *Hactenus Jesuita Drexelius.*

Neque Antonius Spinellus Lojolita hîc prætereundus, quô de Philippus Alegambe: (*a*) *Antonius Spinellus paulò ante decessum, ad beatam æternitatem adspirans, brachiis nunc expansis, nunc ante pectus contractis, suspirabat. Cùm Deipara salutis suæ negotium totâ semihorâ transegit, illud ingeminans, ô Domina mea, quæ docuisti me à juventute mea, usque in senectam, & senium, ne derelinquas me.* Cætera taceo.

Papisticè mori est, *animam* corpori valedicentem *commendare* non Tibi, tuisque manibus, Christe, tantùm, sed Mariæ etiam. *Ita Dies Partheniis* p. 220. *Veni, Domina mea, cum cœlesti militia; in exitu miserere animæ meæ, para ei iter tutum, cùm ante districtum judicem Filium tuum ducta fuerit, & qui te piam Matrem misericordiæ tunc invocare non possum, ideò nunc animam meam in illa fide recommendo tibi, in quâ Deus Pater unigenitum Filium suum commendavit, quando eum de te carnem sumere voluit. Et in illâ fide tibi nunc animam meam commendo, in quâ ipse Filius, Dominus Jesus Christus, in cruce pendens, te Sancto Johanni in Matrem, & illum tibi in Filium commendavit. Nec non in illa fide tibi nunc animam commendo, in quâ Sancta Trinitas in transitu Tuo animam tuam sanctissimam suscepit, teque ad thronum gloriæ collocavit, ita & tu, clementissima Virgo Maria, animam meam non deseras, quousque tuis meritis, & precibus, gratiam & misericordiam à dilecto Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo, obtineat: & quod minus habent mea merita, suppleat gratia tua, & misericordia, quia tu es unica spes, & misericordia mea, cum Domino Jesu nostro.* Fecit id D. Opportuna, quæ si Cornelio à Lapide (*b*) fides habenda, in Mariæ manus spiritum tradidit. Audivit etiam ipse Georgius Cassander, (*c*) correptũ fuisse à Jesuitis juvenem, quod jamjam propter religionẽ comburendus DEO, non Mariæ, animâ suâ offerret.

Papisticè mori, est propriis meritis æternam felicitatem nundinari. *Si quis dixerit* (hæc Patrum Tridentinorum (*d*) vox est) *Justificatum bonis operibus, quæ ab eo per gratiam, & Christi meritum, cujus vivum membrum est, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.*

Et, ut Sole meridiano clarius evadat, longè aliâ viâ ad cœlum tendere, quàm papisticâ, qui solius Salvatoris merito innituntur, doctrinam hanc l'on-

(*a*) Alegambe Biblioth. Jes. p. 371.

 tifices

(*b*) Corn. à Lapide in Matth. XXV. v. 10. f. m. 457.

(*c*) Cassander Def. Lib. de offic. p. 849.

(*d*) Concil. Tridentinum Sess. VI. can. XXXII.

tifices Romani per Indices proscripserunt expurgatorios. Hæc enim *in Sacerdotali Romano, sive Ordine baptizandi cum modo visitandi juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*; censurâ notavit *Index Hispanicus* Fol. XXIV. ad medium: *DELEANTUR ILLA VERBA. Credis non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Jesu Christi virtute, & merito, ad gloriam pervenire? DELEANTUR ILLA VERBA: Credis, quod Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ipsius? DELEANTUR ILLA VERBA.* Intelligitis, spero *Auditores*, & cum horrore, ut video, intelligitis, quis Papisticè obiisse dicendus sit.

Paucis nunc accipite, quid à mortis Candidato Ecclesia requirat Evangelica: unô verbô: JESUM. Hunc moribundorum unicum adversus insidias Dæmonum refugium, unicum animæ receptaculum, solam æternæ salutis causam statuit. Illum, nisi infinitis deliciis carere velis, verâ fide amplectendum; in hujus meritis & vulneribus omnem & unam fiduciæ spem reponendam, æternos cruciatus Hominibus, qui meritis regnum cœleste poscant propriis, interminans. Evangelicâ ergò morte obit, qui in solis Christi brachiis moriens recumbit, qui gaudia nunquam finienda ob acerbissimæ Passionis Jesu merita, ex merâ cœlestis Patris gratiâ expectat. Atqui hâc ratione, his cogitationibus diem clausisse supremum glorioſissimæ memoriæ, Principem Carolum, jam demonstrabo. Testes in medium producam, non partium studio suspectos (quibus ridiculè satis me Schönmannus de Luthero quid somnians aggreditur) sed Papistas ipsos, fidei Romanæ filios, quos ut audiatis benignè *Auditores*, Tu Schönmanne patiêter, summo studio, ab utrisq; contêdo.

Lingvis animisque favete, ævi nostri Tacitum, (cujus scripta, gravitate moderatâ, subtilitate facili, veritate incorruptâ splendescere Puteanus judicat,) Famianum Stradam, ex Lojolitico ordine produco, (e) qui imaginarias, quas Optumus Imperator vicinæ morti proludens sibi exequias celebraverat, describens hæc refert: Sacerdoti scilicet, quam gestabat, facem sublatis in cœlum oculis Carolum hoc suspirio, quô omnes Lutherani oculos suos claudunt feliciter, tradidisse: *Ego te, vitæ ac mortis arbiter, oro, quæsoque, ut, quemadmodum oblatum hunc à me cereum Sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam Tu, quandocunque libuerit, in sinum, complexusque tuos, benignè suscipias!* Quid ais, Marce, aut manus Mariæ desideratas, Mariæ patrocinium in decretoria hora imploratum, quod omnes ingenuè Papæos facere decet, in hâc oratione mihi ostende, aut sola Servatoris brachia, solam DEI benignitatem expetitam cùm cernas, regiâ Lutheranorum viâ Imperato-

(e) Fam. Strada de Bello Belgico Lib. I. p. m. 13.

peratorem relictis piè fatuis illis Marianorum ignibus, cœlum adiisse, invitus licet admitte.

Succedas Tu, Jacobe Auguste Thuane, (nullos huic nomini titulos adjicio, quia omnes transcendit) & hanc mentem num in mortis etiam servarit agone, in splendidâ hac panegyri edissere. Ita verò hic (*f*) ultima Caroli V. ad posteros transmisit: Nullâ re magis Carolus animi magnitudinem ostendit, quam vitæ clausula, quâ Vir, alios vincere assvetus, seipsum vicit, vitæque, tot casibus obnoxiæ, jam potiorem mente agitans, antequam moreretur, renunciavit, & qui reipublicæ vixerat, sibi, ac Deo cœpit vivere. Itaque toto biennio, quod mortem præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitio, monitore usus Constantinô quôdam, qui ei à sacris confessionibus erat, præcipuè B. Bernardi nostratis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum revolutus, sic ratiocinabatur: se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & Patris hæreditate, & Passioni merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cujus donô illud sibi meritò vindicet, hâcque fiduciâ fretus minimè confundebatur: neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ, poni: hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis dominio suo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse: peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo, cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit: per quem solum nobis peccata condonantur.

Ita cùm sensum ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem Christi cruci affixi, identidem in oculis, ulnis, ore & totâ mente complexus, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declaravit; sumtoque viatico, In me mane, inquit, dulcissime Servator, ut ego in te maneam: in quæ verba deficiens animam gloriosissima hic vita defunctam DEO, qui dederat illam, reddidit; *Hactenus Thuanus*. Non absque læto pietatis sensu hæc vobis recito, Auditores; Si hoc enim non est erroribus renunciare papæis, in veritate mori Evangelicâ, nescio quid sit. Revocant in memoriam, (quod in transcursu nunc monendum duco) hæc ultima Gloriosissimi Imperatoris verba, quibus & lingvæ, & vitæ valedixit officiis, *Mane in me dulcissime Servator, ut ego in te maneam*, recentem aut antiquum (de cujus canitie me monuit Liber: *Mariæ Creaturarum Dominæ Mancipium*. Hoc est: *Modus dedicandi se Deipare in Mancipium. Multis ante seculis sanctè in Ecclesia usurpatus, & antehac in Italia & Germania evulgatus, nunc verò paullò fusiùs explicatus. Operâ & studio Sodalium B. V. Colonienssium apud RR. Patres*

(*f*) Thuanus Lib. XXI. Histor. fol. 428. 429.

Patres Societatis Jesu. Superiorum Permissu & Approbatione. Coloniæ, apud Joannem Rinckium, sub Monocerote, Anno M. DC. XXXIV.) Quæ tibi autem, Schönmanne, & de libro, & modo dedicandi se in Mancipium Deiparæ, mens est? *Scis quid velim?* Pontificiorum errorem, S. Eucharistiam non tàm ob Christi, quàm Mariæ unionem desiderandam esse. Attendite Auditores, & exhorrescite ad speculationis illius profanam immunditiem: Sanctissimi „Ignatii Patris nostri, (verba *Ferdinandi Quirini de Salazar* (*g*) Lojolitæ „refero) pia in Mariam religiosa meditatio est, cogitabat Filium & Matrem „unam esse carnem, & sangvinem, aut certè filium esse quandam matris portionem. Hinc eliciebat, se in Eucharistia, non solùm Christi, sed etiam Mariæ carnem, sangvinemque, vel certè magnam, imò præcipuam Mariæ partem, suscipere. Nam si una filii matrisque caro & unus sangvis, qui filii „carnem, sangvinemque sumit, matris etiam carnem sumat necesse est. Et „si filius parentis suæ pars, aut membrum est, qui filium devorat, parentis suæ „quoque partem devorat. Nam quæ sunt uni tertio indentica, inter se „quoque identitatem contrahunt. Virgo est una cum Christo caro, & nos „item. E. cum Virgine etiam carne communicamus. Ex hàc verò meditatione Ignatii animus incredibilem voluptatem hauriebat. Et sanè ob „hanc solam rationem, jure optimo Virgo panem suum appellare potest Eucharisticum; quia nimirum ita Christi corpus & sangvinem continet, & „modo jam insinuato Deiparæ carnem & sangvinem quodammodo includat.

Jungam huic Jesuitam meritis in Curiam Romanam insignem, quem, non sine sanctitatis opinione, ad plures abiisse, credunt parasiti, *Cornelium à „Lapide*. Ita verò ille: (*h*) Mirum hoc, sed verum, quoties enim comedimus „carnem Christi in Eucharistia, toties in eàdem comedimus realiter carnem „B. Virginis: quia caro Christi est caro B. Virginis: imo ipsissima caro Christi, antequam in incarnatione à B. Virginis carne decideretur, & daretur „Christo, fuit propria caro B. Virginis, ejusque animâ informabatur & animabatur. Sicut ergò quotidiè esurimus carnem Christi in Eucharistiâ, sic „& esurimus in eâdem carnem B. Virginis, ut virgineas ejus dotes, & mores „imbibamus, nobisque incorporemus. Idque faciunt non soli Sacerdotes „& Religiosi, sed omnes Christiani: omnes enim suâ, æquè ac Christi, carne pascit B. Virgo in Eucharistiâ. Atque hinc ille virginitatis & angelicæ „puritatis amor indigne & frequenter communicantibus. Sanè fideles omnes „hàc de causà, uti Christum, sic B. Virginem assiduè, corde, & ore, & opere gestare

(*g*) Salazar ad Proverb. IX. v. 4. col. 769.
(*h*) Cornelius à Lapide Comment. in Ecclesiast. Cap. XXIV. 29. fol. m. 537. 538.

„gestare deberent; imò in Virginem quasi transire, & transmutari, sicut ferrum, igne candens, transit in ignem, & sicut panis in fermento conditus „in fermentum quasi immigrat, & transit. Unde Christus se suaque comparat fermento, Matth. 13, 33. Atque hâc de causâ Christus suam carnem „reliquit in Eucharistia, optante, & fortè orante id B. Virgine, ut sese intimè „fideli cuique per omnia temporum secula uniret, & incorporaret. *Hæc „à Lapide.*

Christophorum quoque *Vegam* (*i*) peculiari probantem numero, Mariam in Eucharistiâ veram hominum esse nutricem, ubi mammillâ Regiâ lactemur, aliosque plures dare possem hujus sententiæ Patronos, nisi è diverticulo in viam esset redeundum. QVAM BELLE AUTEM HÆC CUM CAROLI V. NOVISSIMIS CONVENIUNT.

Sed frontem caperat Schönmannus, labia movet in Apologiæ usum. Quid Tibi vis, Schönmanne? Thuanum, inquit, accuso; Thuanum rejicio; Postulârunt hunc hominem *Jo. Baptista Gallus* JCtus, atque *Jacobus Gretserus* impietatis, & adversus Romanam curiam odii, imò & plurimorum mendaciorum peculiaribus scriptis. Quid mirum ergò in Hæreticorum gratiam Thuanum hæc scripsisse, quibus favebat?

At, quàm tacuisse satius fuisset, Schönmanne! Causam Thuani egerunt Curiæ Parisiensis Senatores, qui in Apologiâ Thuanâ Anno 1620. editâ, Thuanum suum *Catholicæ fidei tenacissimum, & Ecclesiæ Romanæ, quam sanctissimi Apostoli, Petrus & Paulus, scriptis, sanguine suo obsignatis, fundaverunt, religiosissimum cultorem, qui vel tantillum ab eâ recedere summum semper nefas existimaverit: Adversarium verò GALLUM, DAMNATÆ CONSCIENTIÆ PERDITISSIMUM NEBULONEM*, communi suffragio damnant.

Et ne vos lateat, *Auditores*, quem larva Jo. Baptistæ Galli tegat, prodam mysteria. Perditissimus iste nebulo Jesuita est, & Jesuita quidem Macaldus. Ita enim apud Alegambium (*k*) Lojolitam lego: *Jo. Baptista de Machand, sive Macaldus, edidit notationes in Historiam Jac. Augusti Thuani, sub nomine Jo. Baptistæ Galli JCti, Latinè.* Nebulonis ergò, & damnatæ conscientiæ perditissimi Nebulonis, quis attendat nebulas? Neque quid scabiosus asinus Tuus rudat, nos moratur. Ignosce, Schönmanne,

(*i*) Christophorus de Vega Theol. Marian. n. 1476.
(*k*) Alegambe Biblioth. Jes. p. 124. Id. ib. p. 199.

ne, quòd, asini nomine ac titulo Gretserum tuum compellem. Mirâ similitudine se asinum exscripsisse ipse Gretserus fassus est. Ad Confessionarium tuum provoco, qui de Gretsero hunc in modum: *Insitierunt apud Ordinem nostrum Cives Gretseri, ut Gretserum, penicillô expressum, sibi concederent, quem in Curia, honoris ergò, servarent. Indignatus ille est, ubi rescivit, monuitque, tum demum illos suam imaginem habituros, si PICTUM in tabula ASINUM haberent.* Quodsi itaque Thuanum Asinus calcitrasset. Haberem plura in Apologiæ pro celeberrimo Viro (qui utinam noster fuisset!) usum, nisi lippis, & tonsoribus, de caussa odii in Thuanum Lojoliticæ Societatis plusquam Vatiniani constaret. Non possum tamen me continere, quin Erbermanno, mendacissimo & mordacissimo Jesuitæ, plagam illustris Grammondi verbis intentem. Ita autem Erbermannus: (*l*) *Ex Libris historiarum nemo Thuanum jure Catholicum dixerit. Legimus & nos eum olim à capite ad calcem: Sed in negotio religionis haud paullò periculosiorem invenimus, quàm ipsum Calvinistam Sleidanum: atque utinam non cum perniciosissimo plurimorum experimento idem adhuc cerneretur. Memini ante annos 26. Justum Mayerum JCtum Argentinæ, Zelosum Lutheranum de Thuano* (cum aliis ibidem) *opinari*, quod *in Confessione Augustanâ obierit. Unde quid mirum, quod eum Catholici explodant? Noster certè videri non potest, cùm tot in eum, quæ ipsum* (*ut loquitur Forerus in Symb. Lutheran. p. 703.*) *hæresi à vertice usque ad talos delibutum, pessimæque fidei historicum fuisse palam faciant, ut sigillatim annotavit in opusculo de ejus Historia Jo. Baptista Gall. JCtus Ingolstadii Anno 1641. impresso, ex quibus omnibus odium internecinum Thuani in Romanam Catholicam religionem maximis radiorum strictturis emicat. Dummodò enim aliquis hostis Papæ, Cardinalium, & Cleri fuerit, licet cætera hæreticissimus & sceleratissimus; jam dignus Thuano visus fuit, qui super sidera laudibus extolleretur.* Longè alia in sacro Regis Galliæ Consistorio Senator, & in Parlamento Tolosano Præses, Gabr. Bartholomæus Grammondus: (*m*) Eadem circa tempora mortalitatem explevit Thuanus, in Parlam. Lutetiano Præses; Vir prosapiâ illustris, doctrinâ & rerum experientiâ, inter paucos, Liberales artes & scientias ut professus à teneris: ut litteratos amaverit, immensa in Remp. charitate, docemur historiarum monumentis, quæ accuratè edidit ab excessu Francisci primi in Henrici IV. extrema: externi acceptam illi gratiam ferunt Historiæ Gallicæ, nec parcè lau-

(*l*) Vitus Erbermann. in Irenico Catholico cap. 5.
(*m*) Grammondus Lib. 3. Histor. Gall. p. m. 191. 192.

„laudant. --- Cæterum privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, & Regum autorita-
„tem, dum acrius vindicat vir politicus, Romæ suspectatur: iniqua suspicio,
„quam mendacii manifestam facit, ne dum vita quam exegit in fide Catho-
„licâ & Romanâ, magna virtutis Christianæ exemplo, sed & ipsius testamen-
„tum, quo palàm profiteretur fidem Orthodoxam. Valeant igitur, qui Thuano, & Grammondo, nec matulam quidem præstare digni sunt.

Sed, ut reliquos etiam testes producam, tempus est. Ita verò Pauli IV. Episcopi Romani Secretarius, de obitu Caroli Cæsaris ad Pontificem: Metuo, ne sit oleum additum Camino, cùm ad Sanctitatem vestram, Toletanus Episcopus scripserit, ipsum Carolum morientem dixisse, sibi videri veram esse Lutheranorum de Justificatione sententiam. Fama statim per universam Europam tulit, & simul quod Sanctitas vestra dixerit, se nolle ipsi propterea, quod cum Lutheranis in præcipuo religionis capite sensisset, ullas exequias celebrare.

Quid de *Jo. Ægidio* dicam, acceptissimo Imperatoris Achate, Religionis Lutheranæ Professore? Quid de *Constantino Pontio*, Caroli per tot annos Concionatore, veritatis Evangelicæ Doctore constantissimo? Quid de *Bartholomæo Caranza*, Archi-Episcopo Toletano ultimo, vel Schönmanno teste, Caroli Confessionario, Lutheranorum dogmatum Propugnatore? Quod si ex horum judicandus veniat Carolus consvetudine, ex horum erga æternam optumi Imperatoris felicitatem integro affectu, quis de Lutheranâ Caroli morte ambigat? Priorum puritatem his adstruit Thua-
„nus: (n) Joannes Legionensis, qui primo sartoriam Mexici in nova Hi-
„spania exercuerat, dein in B. Isidori collegium cooptatus, in quô sodales
„puriori doctrinæ, uti illi jactabant, in occulto studebant: auxit & eorum
„numerum Franciscæ Chavesia ex B. Elizabethæ cœnobio virgo DEO dica-
„ta, quæ à Jo. Ægidio concionatore Hispalensi, de quo mox dicemus, in-
„structa, eandem pœnam magnâ etiam constantiâ pertulit. Ex eâdem
„Scholâ prodiit Christophorus etiam Losada, Medicus, & Christophorus
„Arellanius, ejusdem B. Isidori cœnobii monachus; ac tandem Garsias A-
„rias, qui primus in illud Isidori sodalitium ejusdem religionis scintillas in-
„tulit, assiduis suis monitis ac concionibus, ex quibus ingens ille rogus ac-
„census est, & cœnobium ipsum, ac bona pars urbis opulentissimæ penè
„conflagravit. Is raræ eruditionis vir, sed parum constantis sibi ingenii,
„plerumque mutabat, & quæ suis persvaserat, ac præscripserat, cùm ex eo

(n) Thuanus Lib. XXIII. Histor. f. m. 477. 478.

„illis ab Inquisitoribus periculum creabatur, ipse acutus in disputando „disceptator refellebat, & evertebat. His artibus cùm multos in errorem „inductos manifesto periculo objecisset, se vero detestando fidei violatæ „piaculo obligasset, à Jo. Ægidio, Constantino Pontio, & Vargico aliquan„do monitus, quod parùm sincerè in amicorum, atque adeò idem cum „ipso sentientium, caussà versaretur, ille prævidere se respondit, brevi fo„re, ut tauros in sublime spectaculum productos cernere cogeretur; inqui„sitorium theatrum hoc sermone significans: Ad quæ verba retulit Con„stantinus, si ita Deo placeret, non eum è sublimi ludos despecturum, sed „ipsum in arena futurum; nec Constantini augurio eventus defuit. Nam „Arias mox postulatus est, & sive senectute suâ audacior, sive repentina „mutatione ex meticuloso, qui hactenus fuerat, jam fortior effectus, in ex„spectata constantia inquisitorii tribunalis assessores acerbissimis verbis „objurgarit, aptiores esse, qui vili agasonum munere fungerentur, quam „qui fidei, quam turpiter ignorabant, censuram impudenter sibi sumerent; „Prætereà vehementer dolore testabatur, quod veritatem, quam tunc tueri „se ajebat, sciens ac volens adversus pios illius defensores sæpè coram ipsis „oppugnasset: quam pœnitentiam, quamdiu in vivis esset, ex animo nun„quam deponeret; Ita in triumphum ductus, ac vivus ustulatus, Constan„tini augurium firmavit. Restabant ii, quos diximus, Ægidius & Con„stantinus, scenæ choragi, qui ultimum pompæ agmen clauderent, verum „utrumque mors anticipata vivum spectaculo invidit; Siquidem illi, ob „eximiam pietatis & eruditionis opinionem, cùm à Cæsare, Philippi paren„te, Episcopus Drossensis esset designatus, posteà postulatus est, & recan„tato seu astu, seu hortatu Dominici à Soto, publicè errore, concionandi „munere, ac sacris, ad tempus, interdictum est, & aliquanto tempore ante „actum illum obiit. Sed cum Inquisitores mitius cum illo actum putarent, „cadaver in jus vocant, & mortuum ad mortem damnant, eumque, tan„quam ex machina excitatum, ad spectaculum sistunt, straminea effigie. „Constantinus verò, qui à sacris confessionibus diu Cæsari, eique in solitu„dine suâ, post Imperii, ac regnorum abdicationem, ac postremo animam „agenti, semper præsto fuerat, ad idem mox tribunal raptus, in tetro carcere „paullò ante exspiraverat. Sed ne theatrum Constantino careret, ejus, „quasi concionantis effigies circumducta est, atque ita terribile per se spe„ctaculum, quod primo plerisque astantium lacrymas excusserat, larvis his „in scenam productis, risum multis, ac postremo indignationem mo„vit.

Postre-

Postremò veritatis agnitionem squalidi, ad quos damnabatur, carceres, munerum atque dignitatum exspoliationes probant. Fatetur id, licet inter dentes mussitans, *Sfortia Pallavicinus*, (o) Societ. Jesu Rom. Ecclesiæ Cardinalis: *Adhæc Suavis, inter eos, in quos hæresis titulo animadversum fuit, recenset Bartholomæum Caranzam Dominicanum, qui ante collatas sibi Insulas Tridentinæ Synodo interfuerat, ob eam criminationem libertate ac proventibus spoliatum: Id sanè carnificum non est, verùm illius loco dum Pontium accepit Suavis, hallucinatus est: nam revera Carolo moribundo adfuit Caranza, & pro dignitate, quam obtinebat, extrema Ecclesiæ officia illi præstitit in vitæ exitu. Sed causa, cur illic adesset, ea fuit, quod, delato ad Carolum rumore sinistræ opinionis, quæ de correptâ Archiepiscopi mente spargebatur, ad se hominem accersiri jusserat, ut ipsum commoneret. Atque hæc dicta sint ad abstergendam inclyti Cæsaris famam, qui pretio utriusque Terrarum Orbis ab se abjecti Cœlum mercari contendit. Quod spectat ad Caranzam, cur silentio Suavis obvolvit, expensâ plures annos illius causa, & anteà ab Hispanienſi Inquisitione, & posteà à Romanâ, sedentibus Pio V. & Gregorio XIII. nihil solidi repertum fuisse, ut is manifestæ noxæ damnaretur: sed solùm, ut obstringeretur ad ejurandum, ob VEHEMENTEM SUSPICIONEM, QUAM EXCITARAT DE SUÆ FIDEI PRAVITATE, &c.*

Hisce expensis, quam simillima vero videbantur quæ prodidit scriptor Gallus, *Abbas de S. Real*, in cujus opusculis miscellaneis p. 31. legitur *famam fuisse Imperatorem Carolum V. imbutum in Germania religione Protestantium fuisse, neque alio fine privatum vitæ genus elegisse, quam ut Deum ad illorum præscripta in secreto illo suo coleret, pœnitentia etiam continua afflictum fuisse, quod duos illos fortissimos Principes Saxonem & Hassum oppressisset, neque ausum condemnare religionem, pro qua tanti viri, quicquid charum & pretiosum habebant, in discrimen dedissent. Hanc suspicionem auctam fuisse, quod non aliis ad cunam animæ suæ tunc uteretur, quam iis, qui ejusdem religionis insimulabantur, Caranza puta concionatore Archi-Episcopo Toletano, & maxime Constantino Pontio Drossensi Episcopo qui ei à confessionibus erat. Repertas post mortem in cellula Caroli Schedas fuisse de justificatione & gratia, non multum à Protestantium doctrina discrepantes. Denique Testamentum ejus indicio maxime fuisse, in quo nihil ad sacra quæ Romani ritus legaverit, hinc ecclesiasticos jam nominatos post mortem Caroli conjectos in carcerem, & ab inquisitorio tribunali ad rogum damnatos, cui &*

(o) Sfortia Pallavicinus in Concilii Tridentini Histor. Lib. 4. Cap. XI. f. m. 199.

testamentum Caroli injici debuerit, cujus tamen sententiæ effectum Philippus Rex prudenter impediverit. Hæc in aurem dicta sunto Jesuitæ maledicentissimo *Maximiliano Sandæo*, qui in Grammatico profano audacter mentitur, una cum Caroli V. testamento repertam fuisse schedam ejus manu scriptam, qua internecionem deletionemque Lutheranorum serio præceperit & commendaverit. Hoccine fecisset ille, de quo *Fridericus Staphylus* hostis Lutheri infensissimus & Apostata in oratione funebri Carolo V. dicta scribere non dubitavit: *Carolus fuit erga sectarios indulgentior, & indefensam religionem neglexit.* Et *Franciscus Turrianus* Lojolita lib. de Eccles. & ord. Ministror. p. 10. *Nos*, inquit, *sapientes & justos viros multos audivimus non laudasse misericordiam & clementiam, sed langvorem & soporem Carolo Imperatori exprobrasse.* Confer *B. Dorschei* documenta Providentiæ divinæ circa Augustanam Confessionem. subinit.

I nunc Schönmanne, &, ut mentis lumina serves, da operam; Tibique dictum puta, quod, omni veritate destitutus, adversus me & Sagittarium scripsisti: König Raninus hat denen dieben lassen die augen ausstechen/ darum/ dieweil sie mit den augen gesündiget hatten. Es ist zu befürchten/ daß der König himmels und der erden Sagittarium und Mayerum nicht gäntzlich beraube derer innerlichen augen/ das ist/ des verstandes; dieweil sie ihren verstand schwerlich gemißbrauchet haben/ mit behauptung dieser schrecklichen lügen/ käyser Carolus V. seye Luttherisch gewest und gestorben. Quis fucum vendiderit, fabulis Lectores suos deceperit, doctus nunc judicet Orbis. Nos luculentam hanc de Glorioſissimi Imperatoris Caroli Evangelicâ Morte demonstrationem piissimo Hugonis de S. Victore obsignabimus voto:

O dulcissime, & amantissime Domine Jesu, propter tuum hoc sanctissimum nomen concede mihi misero peccatori, ut glorioſissimum nomen tuum JESUS sit finalis mea locutio, Amen! O dulcissime & clementissime Domine Jesu, ob acerbissimam Passionem tuam concede mihi misero peccatori, ut ineffabile tuum fermentum in Cruce sit finalis mea cogitatio, Amen! O dulcissime & misericordissime Domine Jesu propter omnem tuam sanctissimam vitam concede mihi miserrimo peccatori, ut in extremis omnes meas cogitationes, locutiones, operationes, in sacratissima tua vulnera defigam, Amen! O dulcissime & piissime Domine Jesu propter omnes miserationes tuas, tuæ mortis exinanitionem omniumque vulnerum tuorum Passionem cordi meo imprime, Amen!

(o)



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831996021/phys_0138
DFG

fatuis illis Marianorum ignibus, cœlum adiisse, invitus

acobe Auguste Thuane, (nullos huic nomini titulos ad-
ıscendit) & hanc mentem num in mortis etiam servarit
ıc panegyri edissere. Ita verò hic (*f*) ultima Caroli
iisit: Nullâ re magis Carolus animi magnitudinem,
ausula, quâ Vir, alios vincere asvetus, seipsum vicit, vitæ-
xiæ, jam potiorem mente agitans, antequam moreretur,
ublicæ vixerat, sibi, ac Deo cœpit vivere. Itaque toto
n præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitio,
ntinô quôdam, qui ei à sacris confessionibus erat, præ-
ratis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum re-
atur: se quidem indignum esse, qui propriis meritis re-
ieret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure
editate, & Passioni merito, altero contentum esse, al-
ujus donô illud sibi meritò vindicet, hâcque fiduciâ fre-
batur: neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fi-
minis fiduciam esse à se deficientis & innitentis domi-
priis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse: peccata
entiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non
soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit: per
ccata condonantur.

n ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem
ntidem in oculis, ulnis, ore & totâ mente complexus,
alutis suæ spem collocare declaravit; sumtoque viati-
t, dulcissime Servator, ut ego in te maneam: in quæ
m glorioſissima hic vita defunctam DEO, qui dederat
lenus Thuanas. Non absque læto pietatis sensu hæc
es; Si hoc enim non est erroribus renunciare papæis,
gelicâ, nescio quid sit. Revocant in memoriam, (quod
onendum duco) hæc ultima Glorioſissimi Imperatoris
e, & vitæ valedixit officiis, *Mane in me dulcissime Serva-
am*, recentem aut antiquum (de cujus canitie me mo-
Creaturarum Dominæ Mancipium. Hoc est: *Modus
in Mancipium. Multis ante seculis sanctè in Ecclesia
in Italia & Germania evulgatus, nunc verò paullò fu-
râ & studio Sodalium B. V. Colonienſium apud RR.
Patres*

ib. XXI. Histor. fol. 428. 429.